This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lm
3
45

1882

Digitized by Google

Sum 3.45

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VARRONIANA NONNULLA

EX ANTIQUITATIBUS DERIVANTIA

QUAE IN MACROBII SATURNALIORUM LIBRIS INVENIUNTUR

SCRIPSIT

ET PROLEGOMENON DE MACROBIO ADIECIT

C. BIUSO

FLORENTIAE
TYPIS MARIANI RICCI

1882

Digitized by Google

Lm 3.45

Constantius fund.

Digitized by Google

PROLEGOMENON DE MACROBIO

Quos Macrobius memorat auctores minime ex eorum operibus cognovisse cuique bene reputanti facile compertum erit. Quin imo ille non mihi videtur plurimorum sciptorum libros versare passus aut legere solitus, sed eos tantum prae ceteris dilexisse, in quibus maior suppeteret eruditionis copia, et suo imitandi studio frequentior esset casus. Hinc veterum auctorum locos et nomina, quibus omnia sua praesertim Saturnaliorum libros adauxit, ex eruditorum atque grammaticorum serioris aetatis scriptis potissimum decerpsit, iisdem verbis aut fere iisdem plerumque usus, quibus et hi usi fuerant. Unusquisque enim ex colloquentibus, quos in praedictos Saturnaliorum libros induxit, locum aliquem videtur recitare aliunde sumptum ac memoriae traditum. Ideoque opus istud alienis opibus conflatum simile fit integro multis quidem lapillis constanti atque unitatem quandam simulanti, sed uni formae male reddito. Hoc ipsum quoque arguitur ex linguae inaequali usu atque stili discrepantia: quam rem maiores nostri parum animadvertentes, Macrobianam vero copiam et doctrinam plus aequo admirati, virum clarissimum et illustrem, non modo pro dignitate qua functus est, verum etiam pro tot rerum scientia quam prae se fert calluisse, laudatores faciles appellârunt.

Scriptores omnes invenire, e quibus hic tamquam e fontibus cuncta sua derivavit, difficillimum sane est, quum plerique ex eis qui Romanas antiquitates declaraverant, seu alia id genus argumenta persecuti erant, nomine tantum non deperditis libris nobis innotuerint. Inter eos autem quorum operibus nunc frui-

Digitized by Google

mur, praecipuum locum obtinent Aulus Gellius et Plutarchus, ut de Servio Seneca Valerio Solino aliisque nonnullis taceam: neutrius vero nomen profert, etsi bis de Gellio annalium scriptore mentionem facit lib. I. 8. 1. et I. 16. 21., si Plutarchum excipias quem semel et obiter nominat VII. 3. 24. Horum itaque scriptorum locos ea ratione sibi adscivit, ut qui potius auctor quam imitator et pedisequus videri maluerit, remque suam bene peregisse pro certo habeat. Proposito autem suo satis consuluisse arbitratus est magnam simplicitatem ne dicam impudentiam ostentans, dum eos a quibus sua mutuatur et exscribit ignorare dissimulat; ceterorum vero nomina et res, prout a furto accipit, non modo non reticet, sed quasi propriam inventionem saepius iactat. Id tamen se facturum, scilicet veterum auctorum locos, ne immutata quidem forma sed ut ex « varia lectione » atque « in diversis seu Graecae seu Romanae linguae voluminibus » didicit, esse relaturum, Eustachio suo in praefatione conceptis verbis pollicetur ita scribens: « Nec mihi vitio vertas, si res quas ex lectione varia mutuabor ipsis saepe verbis quibus ab ipsis auctoribus enarrata sunt explicabo, quia praesens opus non eloquentiae ostentationem (cod. Paris. ostentionem) sed noscendorum congeriem pollicetur: et boni consulas oportet, si notitiam vetustatis modo nostris non obscure, modo ipsis antiquorum fideliter verbis recognoscas, prout quaeque se vel enarranda vel trasferenda suggesserint ». Itaque falsa verecundia se honestans alienarum lucubrationum fructum sibi adrogat, et ignobile quod fecit veluti oblitus e tralaticio scribendi genere laudem pro culpa non desperat. (Recentiorum eruditorum sententias, qui Macrobium acriter vituperant refert Ludovicus Ianus in prolegomenn. ad editionem suam p. LVIII sq.)

Gellianis libris diversimode utitur Macrobius. Saepe enim, quae ille in pluribus capitibus longe inter sese dissitis aut in variis libris posuit, hic in uno eodemque capite atque in uno eodemque libro reponit; quaeque ille data serie et naturali ordine tradidit, hic invertit atque contraria dispositione retractat. Ita ex. gr. cavillationem Hannibalis apud regem Antiochum, quam Gellius narrat in l. V cap. 5, necnon et Platonis versiculos quibus is adolescens lusit ab eodem Aulo in l. XIX cap. 11 relatos, Macrobius componit in lib. II cap. 2: quae ille docet in l. V. 8 de Vergilianis versibus « Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat Succintus trabea » etc. Aen. VII 187 sq., quae in l. X. 11 de vocabulo « mature », quae demum in l. XVI. 5

Digitized by Google

de significatione « vestibuli », hic colligit exseritque in l. VI. 8. Pari modo at ordine magna ex parte immutato congessit in l. I. 5 omnia quae ille monet in l. I. 10 de usu « infrequentis et insolentis berbi », in l. I. 16 de numero « mille », in l. XVIII. 2 de vi verbi « remittere », in l. VIII. 14 de tribus philosophis Carneade ex Academia, Diogene Stoico, Critolao Peripatetico Atheniensium legatis ad senatum Romanum. Item quaeque Gellius in l. V. 17 meminit circa « dies postriduanos » necnon et « quartum diem Kalendas vel Nonas vel Idus » Macrobius, dum sibi vindicat in l. I. 16, aliquantulum innovat diversaque consecutione recenset.

Auctores omnes a Gellio citatos et hic quasi semper citat: interdum tamen alicuius Grammatici nomen consulto praetermittit, maxime cum de observationibus in Vergilium sermo fit, quo animadversionem ab alio factam veluti propriam ac tamquam e penu suo omnino depromptam edere sibi liceat. Ita in cit. loco VI. 8, ubi quaestio est de Vergilianis illis « Ipse Quirinali lituo » etc., non dicitur Higinus notasse, uti Gellius testatur, in hisce verbis deesse aliquid, sed contra legitur « in hoc versu videtur mihi deesse aliquid ». In l. VI. 7 non est Cornutus Annaeus qui, ut perhibetur a Gellio in l. II. 6, Vergilium autumat non recte verbum « vexasse » interpetratum fuisse cum dixit « Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates » etc. Eclog. VI. 75 sq., sed et ipse Macrobius per Avienum sum obiectat difficultatem. In l. VI. 8 eodem silentio praeterit Sulpicium Apollinarem, cui Aulus l. XVI. 5 tribuit quod ibi disceptatur de particulae « ve » significatione. Cetera sciens omitto, ne exempla multiplicentur.

Quod autem ad linguam pertinet, dignissima notatu est servilis imitatio Gelliani sermonis, in quam saepissime offendit qui Saturnaliorum libros sumit legendos: verius imo locuti erimus, si affirmabimus Macrobium voluisse potius Gellium transcribere quam imitari. Deprehenditur tamen, sed non sine risu, levis aliqua unius et alterius locutionis immutatio, quae sane ad augendam in nobis huius scriptoris admirationem non multum confert, et parum callidae astutiae indicium est. Sic ex. gr. in Saturnal. I praef. n. 13 haec leguntur « venustatem reprehensionis incurri a M. quondam Catone profectae in A. Albinum » etc., quum in Noct. Att. XI. 8. 1 scriptum sit « iuste venusteque admodum reprehendisse dicitur A. Albinum M. Cato »: in S. I. 5. 1 « vis nobis verba multis iam saeculis oblitterata

Digitized by Google

revocare »; in N. A. I. 10 « sermone abhinc multis annis iam desito uteris »: in S. I. 11. 44 « recentior est memoria quam ut possit inter oblitterata nesciri »; in N. A. II. 18 « recentior est memoria, quam ut scribi quasi obliteratum debuerit »: in S. II. 8. 12 « quisquis est his ferarum voluptatibus occupatus »; in N. A. XIX. 2 « quisquis est his ferinis voluptatibus praevinctus »: in S. V. 11. 15 « non partionem solam, sicut ille quem sequebatur, sed educationem quoque nutricationis tamquam belualem et asperam criminatur »; in N. A. XII. 1 « non partionem solam, tamquam ille quem sequebatur, sed alituram quoque feram et saevam criminatus est »: in S. V. 17. 11 « Pindarus veritati obsecutus dixit quod res erat quodque illic oculis deprehenditur »; in N. A. XVII. 10 « Pindarus, veritati magis obsequutus, id dixit, quod res erat, quodque istic usu veniebat, quodque oculis videbatur »: in S. VI. 8. 8 « neque caduca et nimium cocta, sed tempore suo temperate adulta »; in N. A. X. 11 « neque caduca et decocta, sed tempore suo adulta maturaque ». Et alia huiuscemodi aeque levia et inania.

Sed ut magis pateat quantum scriptor hic plagiarius tralaticium scribendi genus secutus sit, et quoties ad Gellii volumen veluti praedo accesserit, communes utriusque locos numerabo, ac totidem appositis aequationibus alios contra alios statuam.

Saturn.		Noct. Att.		Saturn.		Noct. Att.
In praef. 2 sq.	=	In praef. 2 sq.	:	I. 11. 41	=	II. 18
Ibid. 13 sq.	=	XI. 8	:	II. 8. 4	=	XV. 2
I. 3. 2	=	X. 24	:	II. 8. 10	=	XIX. 2
I. 4. 20	=	III. 2	:	V. 17. 9	=	XVII. 10
I. 5. 1	=	I. 10	:	VI. 7. 4	=	II. 6
I. 5. 5	=	I. 16	:	VI. 8. 1	=	V. 8
I. 5. 12	=	XVIII. 2	:	VI. 8. 7	=	X. 11
I. 6. 19	=	I. 23	:	VI. 8. 15	=	XVI. 5
I. 7. 12	=	XIII. 11	:	VI. 9. 2	=	XVI. 6
I. 5. 14	=	VII. 14	:	VI. 9. 8	=	XVIII. 5
VII. 12. 24	=	XIX. 5	:	VII. 13. 7	=	X. 10
VII. 12. 28	=	XVII. 8	:	VII. 15. 2	=	XVII. 11

Eadem ratione qua Gellianis libris et Plutarcheis opibus usus est, iis praesertim quae continentur in opusculis quae vulgo dicuntur moralia. Integrum namque Saturnaliorum librum ordine septimum cum e Συμποσιακῶν seu Convivalium Disputatio-

Digitized by Google

num libris novem maxima ex parte derivare cogitaverit, eam adhibuit industriam, ne maiorem dicam, quam in subripiendis Auli locis constanter servavit. Cumque sibi proposuerit plerasque et graviores quaestiones non sine quadam cautione sibi tamquam suas vindicare, singula problemata quorum solutionem egregius Chaeronensis tam diligenter temptavit prope, si fas est dicere, depopulatus est, varios locos hic inde captans quibus adsuitur unumquodque ex capitibus eius libri septimi. Notatum volo tamen quod neque hic Gellium suum praetermisit omnino, uti a praepositis aequationibus evidenter innuitur. Nam, ut sileam de eis quae in Platonem et pro Platone in decimo quinto capite disseruntur e Gellii libro XVII cap. 11 ad litteram exscripta atque ab hoc e Symposiacon VII quaest. 1.ª aperte ac dato nomine derivata, pluries utique consuetam rapinam in parva tamen quantitate aggressus est; uti perspicitur in cap. 12. 24, ubi disputatur « cur aqua quae obsita globis nivium perducitur ad nivalem rigorem minus in potu noxia est, quam ex ipsa nive aqua resoluta », et infra ad n. 28, ubi quaestio agitatur « cur vina aut numquam aut rarenter congelascant ceteris ex magna parte humoribus nimietate frigoris cogi solitis »; quae omnia in Aulo inveniuntur l. XIX. 5, ubi quaeritur « quod nivis aqua potui pessima sit » et l. XVII. 8, in quo disceptatur « cur oleum saepe et facile, vina rarius congelascant, acetum haud fere unquam, et quod aquae fluviorum fontiumque durentur, mare gelu non duretur ». Ita in cap. 13. 7, in quo investigatur « cur sibi communis adsensus anulum in digito qui minimo vicinus est, quem etiam medicinalem vocant et manu praecipue sinistra gestandum esse persuasit », ea retractantur quae Gellius refert in l. X. 10 hac inscriptione « cur Graeci et Romani annulum in eo digito gestaverunt, qui est in manu sinistra minimo proximus ». Denique comparare non dubitem quae leguntur in cap. 11, ubi quaeritur « cur ii quos pudeat aut qui gaudent rubescant, et metuentes pallor invadit », cum iis quae insunt in Gellii lib. XIX. cap. 6 sub hoc titulo « quod pudor sanguinem ab extra diffundit, timor vero contrahit »; necnon et quae patent in cap. 14 his verbis proposita « cur in aqua simulacra maiora veris videntur » cum iis quae partim habet Gellius in l. V. 16 sic notata « de vi oculorum atque videndi rationibus », e Plutarcho tamen hausta in IV de placitis Philosophorum cap. 13, ubi agitur περὶ ὁράσεως καὶ πῶς ὁρῶμεν.

Digitized by Google

His igitur Gellianis locis exceptis, reliquum omne quod in libro septimo continetur e Plutarchi libris quos memoravi fluxisse certum est. In quo agendo Macrobius duplicem modum videtur servasse: aut enim singularem vel binas quaestiones in eodem capite fusius atque argumento post breve initium satis enunciato sumpsit pertractandas, aut multorum problematum diversas solutiones in unum caput redigens per omnes Chaeronensis copias ita maluit exspatiari, ut vel tenue vestigium transitus sui linqueret, oblatamque disputationem potius tangeret quam enuclearet. De priore agendi ratione, ne utriusque scriptoris communes paginas iuxta describam, sed ut idoneis exemplis rem conficiam, bonum specimen puto daturus nonnulla Macrobianorum locorum argumenta contra Plutarchearum quaestionum titulos unde ea capta sunt perspicue statuens, ut infra ostenditur.

Saturn. VII, cap. 1 « Quando et de quibus rebus philosophandum in convivio » cap. 2 « De quibus libenter quisque interrogetur » cap. 3 « De vario scommatum genere et quam caute his utendum inter convivas ».

Συμπ. I πρόβλ. α'. εἰ δεῖ φιλοσοφεῖν παρὰ πότον.

II. πρόβλ. α'. τίνα ἐστὶν ἃ Ξενοφῶν παρὰ πότον ἥδιον ἐρωτᾶσθαι φησὶ καὶ σκώπτεσθαι ἢ μή.

Cap. 4. « Cibum simplicem praeferendum esse multiplici, ut qui sit digestu facilior » cap. 5 « Contra, cibum multiplicem aptiorem esse quam sit simplex ».

Συμπ. IV. πρόβλ. α'. εἰ ἡ ποικίλη τροφὴ τῆς ἁπλῆς εὐπεπτοτέρα.

Cap. 6. « Vinum natura frigidum potius videri quam calidum. Et cur raro faeminae, senes cito inebrientur ».

Συμπ. III. πρόβλ. ε'. εἰ ψυχρότερος τῇ δυνάμει ὁ οἶνος. Ibid. πρόβλ. γ' διὰ τί γυναῖκες ἥκιστα μεθύσκονται, τάχιστα δὲ οἱ γέροντες.

Cap. 7. « Faeminis frigidiorne sit natura quam viris. Et cur mustum non inebriet ».

Συμπ. III. πρόβλ. δ'. πότερον ψυχροτέραι τῇ κράσει τῶν ἀνδρῶν ἢ θερμότεραί εἰσιν αἱ γυναῖκες. Ibid. πρόβλ. ζ'. διὰ τί γλεῦκος ἥκιστα μεθύσκει.

Digitized by Google

Cap. 16. « Ovumne prius fuerit an gallina. Et cur noxam quam pecudibus occisis Solis radii non dederunt, lunare lumen effecerit ».

Συμπ. II. πρόβλ. γ'. πότερον ἡ ὄρνις πότερον ἢ τὸ ᾠὸν ἐγένετο. III. πρόβλ. ι' διὰ τί τὰ κρέα σήπεται μᾶλλον ὑπὸ τὴν σελήνην ἢ τὸν ἥλιον.

De altero modo usurpationis, ut cetera praetergrediar, duo capita heic afferam in testimonium. Caput enim duodecimum plures habet quaestiunculas, omnes vel fere omnes e Plutarcheis derivatas: potiores autem hae sunt: « qua ratione carnem ad diuturnitatem usus admixtio salis servet », quod omne sumptum est e Symposiacon V quaest. 10.ª « τίνες οἱ περὶ ἅλα καὶ κύμινον. ἐν ᾧ διὰ τί τὸν ἅλα θεῖον ὁ ποιητὴς εἶπεν »: item « cur defaecatum vinum validius sit viribus sed infirmius ad permanendum », quod profecto decerptum est e lib. VII quaest. 7.ª « εἰ δεῖ τὸν οἶνον ἐνδιηθεῖν »: item « cur oleum quod in summo est, vinum quod in medio, mel quod in fundo optima esse credantur », quod aeque reperitur in lib. VII quaest. 3.ª « διὰ τί τοῦ μὲν οἴνου τὸ μέσον, τοῦ δὲ ἐλαίου τὸ ἐπάνω, τοῦ δὲ μέλιτος τὸ κατώτατον γίνεται βέλτιον »: item « cur qui esuriens biberit aliquantulum famem sublevat, qui vere sitiens cibum sumpserit non solum non domat sitim, sed magis magisque cupidinem potus accendit », quod sane manat e lib. VI quaest. 3.ª « διὰ τί πεινῶντες μὲν ἐὰν πίωσι παύονται· δειψῶντες δὲ ἐὰν φάγωσιν ἐπιτείνονται ». Caput decimum tertium tres movet quaestiones. Quaeritur primum « cur ieiuni magis sitiant quam esuriunt », et hoc etiam profluit e lib. VII quaest. 1.ª « τίς ἡ αἰτία δι' ἣν οἱ νηστεύοντες δειψῶσι μᾶλλον ἢ πεινῶσιν », et inde « cur sibi communis adsensus anulum in digito qui minimo vicinus est, quem etiam medicinalem vocant, et manu sinistra gestandum esse persuasit », in quo praeter id quod, ut supra monui, ex eadem Gellii quaestione desumptum est, alia quaedam leguntur quae multo probabilius inerant in lib. V ad quaestionem 8.am quam nunc desideramus « διὰ τί τῶν δακτύλων μάλιστα τῷ παραμέσῳ σφαγίδας φοροῦσιν », tertio demum « cur magis dulcis quam salsa aqua idonea sit sordibus abluendis », quod exscriptum est e lib. I quaest. 3.ª « διὰ τι τῷ ποτίμῳ βέλτιον ὕδατι ἢ τῷ θαλαττίῳ πλύνεται τὰ ἱμάτια ».

Ceterum quo uno obtutu melius deprehendatur Plutarchearum copiarum summa, quas Macrobius geminatis furtis in septi-

Digitized by Google

mum librum suum transferre non dubitavit, easdem aequationes, quas ante de Gellianis locis feci, et hic inter Macrobii et Plutarchi communes quaestiones adiciam.

Saturn.		Symposiac.	Saturn.		Symposiac.
VII. 1. 9	=	I. 1. 3	VII. 7. 3	=	III. 4. 2
VII. 1. 15	=	I. 1. 4	VII. 7. 14	=	III. 7. 1
VII. 2. 1	=	II. 1. 1	VII. 7. 16	=	III. 10. 1
VII. 3. 2	=	II. 1. 4	VII. 12. 6	=	VI. 7. 1
VII. 3. 11	=	II. 1. 9	VII. 12. 8	=	VII. 3. 1
VII. 4. 3	=	IV. 1. 1	VII. 12. 18	=	VI. 3. 1
VII. 5. 6	=	IV. 1. 3	VII. 13. 1	=	VI. 1. 1
VII. 6. 15	=	III. 3. 1	VII. 16. 1	=	II. 3. 2

Digitized by Google

VARRONIANA IN MACROBIO

Caput singulare.

De Varronianis locis dicturo ad Antiquitatum libros spectantibus, ut in Saturnaliorum commentariis inveniuntur, pauca mihi videntur praenotanda.

Quamquam nihil obstitit quominus Macrobius Varronianum illud opus videre ac legere potuisset, attentis tamen animadversionibus quas praeposuimus de tralaticio scribendi genere quod constanter persecutus est, deque scriptorum indole quos imitabatur utpote consilio suo multimodae lectionis ostentandae magis accommodatos, nequit pro certo affirmari eum vidisse atque reapse legisse. Veri simillimum enim credendum est Varronianos locos ab eo relatos, illos praesertim in quibus non modo auctoris nomen, sed etiam et liber indicatur e quo datus locus erutus est, in aliquo scriptore grammatico vel historico eodem modo citatos exstitisse quo et Macrobius citat:[1] quippe notum est hunc res conlectas et comportatas magis quam exquirendas et componendas adamasse, uti e Gellianae eruditionis usu quem fecit abunde liquet. Hoc autem analogiae argumentum fit validius, si ceteros auctores consideremus Varroni plerumque consociatos, qui de iisdem rebus loquentes inducuntur. Improbus enim labor cunctos vel plerosque scriptores consulendi, qui circa idem argumentum disceptaverant, si in una et altera

[1] Ex Varronianis locis a Macrobio nominatim allatis, si demas unum ad libros de L. L. et quatuor ad lib. R. R. pertinentes, ceteri quidem in tres partes dividi possunt; quarum alteram e Gellio, alteram vero e Servio, ac tertiam procul dubio ex aliis grammaticis transcripsit, quorum opera intercederunt.

Digitized by Google

quaestione perferri poterat, in tot vero rebus, quot apud Macrobium declarandae proponuntur, valde iniquus procul dubio fuisset huiusque naturae parum aptus.[1] Quaedam igitur ab uno, quaedam vero ab alio ex appositis scriptoribus, ut materia postulabat, mutuatus more solito, non pauca etiam Varroniana congessisse inventus est ceterorum sententiis plus minusve admixta.

Praeterea eos scriptores seu Graecos seu Romanos, qui ante Varronem aut eadem aetate vixerunt qua ipse deque iisdem rebus tractavere, si in Macrobianis pagellis coniunctim et quadam serie cernimus dispositos, extremum locum Varrone occupante, a veritate quidem saepius a magna quandoquidem probabilitate abludere non dicendi erimus, cum et illos ab ipsomet Reatino in opere suo fuisse opportune citatos asseramus. Nam et ei mos erat, cum aliquam disputationem susciperet, diversas diversorum scriptorum seu veterum seu aequalium opiniones oggerere antequam suam proferret, uti est animadvertere in libris eius qui supersunt necnon in deperditorum fragmentis. Novimus autem ex alia parte, ut supra dixi cum de Gellianis locis tetigi a Macrobio usurpatis, hunc solitum fuisse non modo alienas opes invadere, verum etiam sententias quae in ipso loco sibi vindicato aliis auctoribus nominatim adscribuntur nunc tacitum nunc nomina proferentem, at semper tamquam inventionem suam, non sine quadam ambitione ita cumulare, ut qui primus eas investigaverit et in proprium librum redegerit non semper dignosci possit.

Nec quoties Varroniana doctrina utitur, toties auctoris nomen patefacit. Si enim diligente animo Saturnaliorum libros perpendimus, multa quidem nobis occurrent, quae probe ut Varroniana deprehenduntur. Ad hoc autem dispiciendum aliquas cautiones oportet adhibere: ante omnia exploranda est accurate rerum disputatarum natura, si forte ex eis sint in quarum

[1] Huius ingenii natura ex aliquibus sententiis in praefatione ad Eustachium filium expressis, ut ego arbitror, dignosci potest. Ait enim. « Nos quoque quicquid diversa lectione quaesivimus committemus stilo, ut in ordinem eodem digerente coalescat ». Et infra « Ex omnibus colligamus unde unum fiat ex omnibus, sicut unus numerus fit e singulis. » Quae verba mihi videntur aperte testari aliquem ordinem non ab auctoris industria et consilio expectandum esse, sed ab ipsa rerum confusarum indigesta congerie: stilus, id est enarratio et multitudo rerum, varietatis unitatem, quam ille nullo modo nisus est comparare, in legentium animo per seipsum nanciscetur. At hoc profecto satis ignaviae ostendit.

Digitized by Google

tractationem Reatinus scriptor certo incubuit, ac si modus ipse disputandi ad eum peculiariter vergat: legendi quoque sunt libri eius qui exstant librorumque reliquiae, ut ex cognitis adfulgeat lux cognoscendis, atque eos auctores partim discamus, quorum opinionibus ac sententiis ille rem suam augebat. Nam Varroniani libri « de lingua latina » multa quidem habent e libris « Antiquitatum rerum humanarum et divinarum » promanantia et summatim repetita, ut ipse Varro non semel testatur, v. de L. L. VI. 13 et 18 ed. Mueller, ac de scriptoribus quorum sapientia frui auctor maluit bonam fidem faciunt. Denique conferendi sunt cum Macrobio ceteri scriptores, quum profani tum ecclesiastici, qui Varronianis thesauris libros suos magni duxerunt exornare, ut ubi eiusdem doctrinae praebeatur similitudo, ibi eiusdem auctoris nomen laudetur. Quod si quis me interroget qua de causa Macrobius Varronis nomen aliquando reticeat, quamquam eius documenta exponit, non suae tantum vanitatis recordabor, sed et binam hypothesin in medium proferam: vel ipse nesciebat ea Varroniana esse, propterea quod in eis scriptoribus e quorum paginis haec hauriebat nomen Reatini fortasse deerat, vel, cum de rebus ageretur quae olim a Varrone traditae et dein a multis imitatoribus iam exscriptae demum lapsu temporis veluti communes et pervulgatae putabantur, obtinuerat quidem consuetudo vetustioris magistri qui prior talia docuerat nomen omittendi.

Nullus autem scriptor, Homero ac Vergilio demptis, tam frequenter a Macrobio in Saturnaliorum libris memoratur quam Varro.[1] Et merito. Duo namque in hisce libris potissimum elucent: alterum quidem peculiaris naturae ac definitae, alterum vero generalis et diversae: utrumque tamen inconcinne digestum atque inepte commixtum. Pars illa Vergiliani poematis curat illustrationem, haec autem nonnullas de humanis et divinis rebus agit quaestiones: illa venustatem ac veritatem poeticam inquirit, haec historicam et philosophicam veritatem: prior grammaticum rhetorem et criticum redolet, posterior totius antiquitatis studiosum. Quod attinet ad Vergiliani poematis commentarium, Varronis auctoritas oblique tantum ac fortuito interpellatur, id est cum aliquid sit explicandum a poeta enunciatum, quod profanam vel sacram antiquitatem attingat historico sensu acceptam. Quoad reliquum vero, si paucissima exci-

[1] Octies et tricies Varro in eis nominatur.

Digitized by Google

pias ad Augusti et successorum aetatem pertinentia, nihil invenies quod in Varronianis operibus prius non exstiterit, maxime in Antiquitatum libris, ut inferius patebit. Quicumque igitur fuerunt scriptores e quibus Macrobius hausit, Varronianam doctrinam hausit per eorum libros transductam et perfluentem; non semper iisdem verbis expressam, quibus auctor eam communicaverat, (nam notum est antiquorum sententias a serioribus grammaticis nimis negligenter et liberrime fuisse editas), sed modo genuinam et late patentem, modo compilatam et contractam, prout imitatoris arbitrium vel necessitas ferebat. Nil mirum itaque si saepius Reatini scriptoris testimonio quae sumit exscribenda invenit confirmata, cum ea quae nullius auctoritate videntur fulciri, prudente vel ignaro Macrobio, ab eadem fonte scateant.

Saturnaliorum libri qui magis Varroniana sapiunt sunt quidem primus ac tertius: in his enim plurima traduntur, quae iam fuerant a Viro doctissimo in Antiquitatibus explanata. Nam primus ea complectitur, quae pertinent ad institutionem ac divisionem diei civilis, ad Saturnaliorum solemnia, ad Saturni Ianique aras templa et festum, ad mensium prius a Romulo dein a Numa partitionem factam nomen ac nominis originem, ad variam in variis temporibus anni ordinationem, ad Kalendarum Nonarum atque Iduum significationem ac proprietates, ad dies festos profestos fastos etc., ad aliquorum deorum physicam interpretationem atque inter sese comparationem, aliaque nonnulla id genus; quae omnia neminem latet fuisse a Varrone ex professo disceptata. Tertius autem, capta occasione aliquarum Vergilii dictionum explicandarum, de rebus sacris profanis sanctis et religiosis disserit, de dis et deorum suppliciis Romanorum propriis, de dis externarum gentium atque sacrificiis, de festis dedicationibus ac ritubus, de cenis triumphis tricliniis saltationibus et omni genere luxuriae, de piscibus gulae suavioribus ac de nonnullis cibis exquisitissimis, deque aliis istiusmodi; quae pariter idem Varro, ut omnes nôrunt, diligentissime pertractavit. In ceteris libris, ut nunc habemus, non videtur Macrobius Varronianis divitiis nisi rarissime honestatus, Vergilianos interpretes et grammaticos satur expilasse. Inter capita vero quibus coalescit liber primus, quoad Varronis locorum copiam in eis exstantium, haec ratio intercedit: in capitibus XII et XVI maior numerus continetur, proximum iis accedit caput XV, sequuntur capita IX et X, pe-

Digitized by Google

nultimam sedem tenent capita III, VIII, XI, XIII, XVIII, XX, XXI, extremus denique locus assignari debet capitibus IV, V, VI, VII et XXIII. Eadem serie decrescente servata in libro tertio, caput IV reliquis praemittendum est, medium occupant capita II, VI et XII, seriem vero implet caput XVI. Liber sextus unicam tantum habet in capite IV Varronis mentionem. Hoc autem non eo consilio me statuisse velim putes, perinde ac si autumarem Varronianos locos in Saturnaliorum libris insertos eos tantum esse, quoad copiam et ordinem, quos ego trado, et non alios neque aliter disponendos: quum contra certum sit in multis capitibus primi libri, etiam in eis e quibus vel parum sumo notandum, alia plura inesse Varroniana, sed ita perfusa et pene contrita, ut opus foret satis arduum et fortasse ineptum ea in unum colligere. Si ergo id feci, non ob aliam causam feci, nisi ut de ordine quem curabo in exserendis fragmentis legentes mature monerentur.

His itaque praepositis, Varronianos locos, quique certo sunt, quique tales post diuturnas animadversiones mihi videntur, heic persequar, et ad extremum locum coniecturas aliquas, utut sunt, omittam.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRAGMENTA

I

(Saturnal. I. 3. 2 sqq.)

« M. Varro in libro Rerum Humanarum quem de diebus scripsit, Homines, inquit, qui ex media nocte ad proximam mediam noctem his horis viginti quattuor nati sunt uno die nati dicuntur. quibus verbis ita videtur dierum observationem divisisse, ut qui post solis occasum ante mediam noctem natus sit, illo quem nox secuta est, contra vero qui in sex noctis horis posterioribus nascitur, eo die videatur natus qui post eam noctem diluxerit. Athenienses autem aliter observare idem Varro in eodem libro scripsit, eosque a solis occasu ad solem iterum occidentem omne id medium tempus unum diem esse dicere: Babylonios porro aliter: a sole enim exorto ad exortum eiusdem incipientem id spatium unius diei nomine vocare: Umbros vero unum et eundem diem esse dicere a meridie ad insequentem meridiem. quod quidem inquit Varro nimis absurdum est. nam qui Kalendis hora sexta apud Umbros natus est, dies eius natalis videri debebit et Kalendarum dimidiatus et qui post Kalendas erit usque ad horam eius diei sextam ».

Locus hic sumptus est e Gellii lib. III. 2. et in Varronis ed. Bipontina pag. 207 eidem Aulo in primis tributus invenitur, sed iis verbis tantum expressus, quae Varroni adscribuntur. Liber quem Varro « de diebus » scripsit inter decimum quartum et decimum nonum inesse debebat: nam, teste Augustino de Civ. Dei VI. 3, libri qui erant de temporibus tertium locum totius operis occupabant. Atqui totum opus quinque et viginti libris constans in quatuor partes dividebatur, unaquaeque vero pars senos libros habebat, praeter unum singularem qui communiter

Digitized by Google

prius de omnibus loqueretur, et in capite positus erat. En verba eiusdem Augustini: « In sex itaque primis de hominibus scripsit, in secundis sex de locis, sex tertios de temporibus, sex quartos eosdemque postremos de rebus absolvit ». Hexas tertia igitur a decimo quarto ad decimum nonum producebatur: liber autem de diebus, quoniam prima et naturalis temporum divisio est in dies, totius hexadis prior necessario esse debuit ideoque XIV.us — Eadem, praeter Gellium et Macrobium, vel fere similia tradunt Plinius N. H. II. 79, Censorinus de die nat. c. 23, Plutarchus Quaest. Rom. 84, Isidorus Orig. V. 30, aliique nonnulli qui de Varrone acceperunt.

Codices et editiones Macrobii: P = Parisinus, B = Bambergensis, P' B' = lectio codicum emendatione anterior: omnia ut in Eyssenhardt — Lugd. nomine optimam editionem significo Lugduni an. 1556 exaratam. Ianus = Macrobii Ambrosii Theodosii opera quae supersunt etc. emend. Lodovicus Ianus, vol. secundum Quedlinburgi et Lipsiae 1852. Eyssenh. = Macrobius, Franciscus Eyssenhardt recognovit Lipsiae 1868 — 1 *marcus* B P ‖ 3 *oris* P: *quatuor* P et vett. edd. ‖ 4 *dividisse* B' ‖ 5 *quemos* | *nox* B: *sequuta* P ‖ 10 *babilonios* B P: *exortom* B' ‖ 13. 14. 15 *Calendis Calendarum Calendas* Lugd. et vett. edd. ‖ 15 *diei* in Lugd. Iano et cett. edd., sed Eyssenh. habet *dici* quod probabiliter vel typothetae mendum censeri debet.

II.

(I. 3. 13)

« Mane autem dictum aut quod ab inferioribus locis id est a Manibus, exordium lucis emergat, aut, quod verius mihi videtur, ab omine boni nominis. nam et Lanuvini mane pro bono dicunt: sicut apud nos quoque contrarium est immane, ut immanis belua vel immane facinus et hoc genus cetera pro non bono. » 13

Doctrinam istam a Varrone traditam fuisse discimus partim ex eodem Varrone, qui in libris de L. L. eadem brevissime reponit, quae fusius in Antiquitatibus exposuerat, cum ei de iisdem rebus loquendum est; nam in VI. 4 ita scribit « mane, quod tum manat dies ab oriente, nisi potius quod bonum antiqui dicebant manum » etc.: partim e Servio Aen. I. 143, Isid. Orig. V. 30. 14, Festo XIII p. 157 sq., aliisque multis Nostri auctoris studiosissimis. Ne prolixus fiam, Isidori verba tantum allego: « dictum est mane a mano: manum enim antiqui bonum dixe-

Digitized by Google

runt. Quid enim melius est luce? Alii mane existimant vocari a Manibus, quorum conversatio a luna ad terram est ». Quoad locum in quo Varro haec docuit, nequit dubitari id egisse in libro de diebus, quem supra vidimus XIV Rer. Hum. existimandum esse. Arguitur etiam ex cit. loc. de L. L. ubi « mane diei principium » appellat, et consequenter de ceteris diei partibus agit. Eundem ordinem servat Censorinus de die nat. c. 24 circa divisionem diei civilis.

1 *inferibus locis* B: *locis* om. Eyssenh. ‖ 2 *homine* B ‖ 3 *lanubii* P: *Lanubini* B' lanus et aliqq. edd.: *mane* om. P ‖ 4 *inmane inmanis vel inmane* lanus et aliqq. edd. ‖ 5 *caetera* Lugd. et vett. edd.: *non pro bono* BP' et aliqq. MSS.

III.

(I. 4. 14)

« Floralium, non Floraliorum ait, cum idem (Varro) non ludos Flo- 14
rales illic, sed ipsum festum Floralia significaret. »

Inest in Bip. ed p. 371. Pertinuisse autem ad Antiquitatum libros argumentamur ex ipso Macrobio, qui cum superius de Feralio die agens locum Varronis e L. L. VI. 13 depromptum attulerit, hic vero Floralia memorans adiecit « alibi » (subintellige « ait Varro »). Floralium diem quotannis magna solemnitate fuisse celebratum discimus ab Ovidio Fast. IV. 947, ab Iustino XLIII. 4, nec non et a Plinio, qui N. H. XVIII § 286 hoc festum ait institutum IV° Kalendas Maii anno DXVI « ex oraculis Sibyllae, ut omnia bene deflorescent », et diem Varronis auctoritate determinat. Cumque igitur heic de diebus festis agatur, quo libro de Floraliis Varro disseruerit magna probabilitate inferri potest. Augustini verba de civ. Dei VI. 3 prius afferam, quo Varronis Rer. Div. librorum οἰκονομία et materies palam fiant. « In divinis identidem rebus eadem ab illo divisionis forma servata est, quantum attinet ad ea quae diis exhibenda sunt. exhibentur enim ab hominibus in locis et temporibus sacra. haec quatuor quae dixi libris complexus est ternis, nam tres priores de hominibus scripsit, sequentes de locis, tertios de temporibus, quartos de sacris, etiam hic qui exhibeant, ubi exhibeant, quando exhibeant, quid exhibeant, subtilissima distinctione commendans. sed quia oportebat di-

Digitized by Google

cere maximeque id expectabatur quibus exhibeant, de ipsis quoque diis tres conscripsit extremos, ut quinquies terni quindecim fierent. sunt autem omnes, ut diximus, sexdecim, quia et istorum exordio unum singularem qui prius de omnibus loqueretur apposuit; quo absoluto consequenter ex illa quinquepertita distributione tres praecedentes qui ad homines pertinent ita subdivisit, ut primus sit de pontificibus, secundus de auguribus, tertius de quindecim viris sacrorum; secundos tres ad loca pertinentes ita, ut in uno eorum de sacellis, altero de sacris aedibus diceret, tertio de locis religiosis; tres porro qui istos sequuntur et ad tempora pertinent id est ad dies festos, ita ut unum eorum faceret de feriis, alterum de ludis circensibus, de scaenicis tertium. quartorum trium ad sacra pertinentium uni dedit consecrationes, alteri sacra privata, ultimo publica. hanc veluti pompam obsequiorum in tribus qui restant dii ipsi sequuntur extremi, quibus iste universus cultus inpensus est: in primo dii certi, in secundo incerti, in tertio cunctorum novissimo dii praecipui atque selecti ». Liber ergo in quo de feriis agebatur, ideoque de Floralium die, primus fuit tertiae triadis id est lib. VIII Rer. Div.

1 *lodos* B': || 2 *illhic* Lugd. et vett. edd.

IV.

(I. 5. 5)

« Licet Varro quoque, eiusdem saeculi homo, in septimo decimo Humanarum dixerit, plus mille et centum annorum est..... »

Locus iste e Gellii lib. I. 16 exscriptus est a Macrobio, et legitur in Bip. ed. p. 208; sed pro « septimo decimo » dicitur « decimo octavo », ut reapse habet Gellius. Mihi autem videtur numerus a Gellio indicatus veritati propius accedere, quam qui a Macrobio designatur. Si enim non improbabili coniectura sex librorum tertiae hexadis argumenta mihi liceat divinari, haud ambigam unicuique libro unumquemque ex his titulis adponere: dies menses annos lustrum seclum aevum; nam et hic ordo servatur ab eodem Varrone in L. L. VI. 4-11, cum de naturalibus temporis discriminibus agit. Itaque si de diebus, ut supra statui,

Digitized by Google

sermo erat in lib. XIV°, et si Varronis verba « plus mille et centum annorum est » ei libro referri possunt qui erat de aevo, nil vetat quominus haec ad librum XIX amandemus; qui et idem ac XVIII haberi potest, si librum singularem ceteris praemissum, ut in cit. loc. Augustini memoravimus, numerice addere nolumus; quod probabiliter fecit Gellius.

2 *Rerum humanarum* Lugd. et vett. edd.

V.

(I. 6. 7 sqq.)

« Tullus Hostilius, rex Romanorum tertius, debellatis Etruscis sellam 7
curulem lictoresque et togam pictam atque praetextam, quae insignia magistratuum Etruscorum erant, primus ut Romae haberentur instituit. sed praetextam illo saeculo puerilis non usurpabat aetas: erat enim ut cetera, quae enumeravi, honoris habitus. sed postea Tarquinius, Demarati exulis Corinthii filius, Priscus quem quidam Lucumonem vocitatum ferunt, rex tertius ab Hostilio, quintus a Romulo, de Sabinis egit triumphum. quo bello filium suum annos quattuordecim natum quod hostem manu percusserat, et pro contione laudavit et bulla aura praetextaque donavit, insigniens puerum ultra annos fortem praemiis virilitatis et honoris. nam sicut praetexta magistratuum, ita 9
bulla gestamen erat triumphantium, quam in triumpho prae se gerebant inclusis intra eam remediis quae crederent adversus invidiam valentissima. hinc deductus mos ut praetexta et bulla in usum pue- 10
rorum nobilium usurparentur ad omen ac vota conciliandae virtutis ei similis cui primis in annis munera ista cesserunt. Alii putant eun- 11
dem Priscum cum statum civium sollertia providi principis ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter praecipua duxisse instituisseque ut patricii bulla aurea cum toga cui purpura praetexitur uterentur, dumtaxat illi quorum patres curulem gesserant magistratum: ceteris autem ut praetexta tantum uterentur indultum, sed usque ad 12
eos quorum parentes equo stipendia iusta meruissent. libertinis vero nullo iure uti praetextis licebat ac multo minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo.

Vetustatis peritissimi referunt in raptu Sabinarum unam mulierem 16
nomine Hersiliam, dum adhaeret filiae, simul raptam: quam cum Romulus Hosto cuidam ex agro Latino qui in asylum eius confugerat virtute conspicuo uxorem dedisset, natum ex ea puerum, antequam alia ulla Sabinarum partum ederet: eum, quod primus esset in hostico procreatus, Hostum Hostilium a matre vocitatum et eundem a Romulo

Digitized by Google

bulla aurea ac praetextae insignibus honoratum. is enim cum raptas ad consolandum vocasset, spopondisse fertur se eius infanti quae prima sibi civem Romanum esset enixa, inlustre munus daturum. Non nulli 17
credunt ingenuis pueris adtributum ut cordis figuram in bulla ante
35 pectus adnecterent, quam inspicientes ita demum se homines cogitarent, si corde praestarent, togamque praetextam his additam ut ex purpurae rubore ingenuitatis pudore regerentur ».

Opiniones varias de origine atque significatione bullae in puerorum usum fuisse a Varrone propositas eodem fere modo quo heic Macrobius refert, non solum ipsa materiae natura et gravitas, sed et Plutarchus nos evincit. Qui in libello suo « Quaestiones Romanae » inscripto (quod opusculum Varronianis opibus quammaxime conflatum esse iam demonstravit Thilo G. « de Varrone Plutarchi Quaest. Rom. auctore praecipuo » Bonn 1853) cum breviter, uti solet, sed satis perspicue potiores narrationes de puerorum bulla conlegerit, aliquorum denique sententias, qui apud Varronem inveniuntur, expungit atque a probabili rei sensu dicit abludere. Atqui opiniones quae a Plutarcho referuntur, et extremo loco Varronis nomine augentur, eaedem sunt ac quae in hac Macrobii pagina traduntur. Nam ad n. 101 sq. quaerit an bullae usus debeatur memoriae raptarum mulierum, an Tarquinio puero, an potius virorum desiderio bonum consilium praemature in mentem puerorum infundendi: eius autem verba haec sunt « διὰ τί κοσμοῦσι τοὺς παῖδας τοῖς περιδεραίοις, ἃ βούλλας καλοῦσι;.... πότερον ἐπὶ τιμῇ τῶν ἁρπασμένων γυναικῶν ὥσπερ ἄλλα πολλὰ καὶ τοῦτο ἐψηφίσαντο ταῖς ἐξ αὐτῶν γεννωμένοις ὑπάρχειν; ἢ τὴν Ταρκυνίου τιμῶντες ἀνδραγαθίαν;..... ὃ οἱ περὶ Βάῤῥωνα λέγουσιν οὐ πίθανόν ἐστι, τῆς βούλλης ὑπὸ Αἰολέων βόλλας προσαγορευομένης, τοῦτο σύμβολον εὐβουλίας περιτίθεσθαι τοὺς παῖδας ». Improbabile autem et fere absurdum est opinari Varronem eos tantum scriptores memorasse qui hanc postremam sententiam sequebantur, ceteros vero qui aliter et fortasse rectius cogitabant omnino praeteriisse; maxime quum descriptae fabulae universae antiquitati notissimae ac multum essent celebratae, uti arguitur a Liv. I. 38, Dionys. Hal III. 66 et alibi, Aurel. Vict. de viris illustr. 6. 2, Plin. N. H. XXVIII, 7. 39 etc., atque habita ratione summae diligentiae Nostri auctoris in qualibet disputatione nil indictum relinquentis. At est difficile Varronianum librum indicare in quo haec dicebantur. Ni forte quae ad vestes ornamenta et vitae cultum spectant in extrema

Digitized by Google

hexade Rer. Hum. quaerenda sint, ubi sermo erat de rebus, (et hoc satis probabile mihi videtur) non est quidem insanum cogitare hanc disceptationem de bullae usu in eodem libro exstitisse in quo de pueris fiebat mentio, id est in aliquo hexadis primae quae fuit de hominibus. Quo autem ordine ibi homines dispositi essent, et quibus discriminibus alii ab aliis secreti, penitus ignoramus. Arbitror tamen eandem forte hominum divisionem quae nunc legitur in L. L. V. 80-94, videlicet in « homines dictos ab honore, a rebus sacris, a re militari, a fortuna, ab arte et studio » etiam in Antiquitatibus exstitisse. Quod si generibus istis naturalem hominum divisionem ab aetate atque sexu petitam praeponeremus, integra hexas reficeretur, et liber in quo de pueris dicebatur omnium primus habendus esset. Hoc autem credibilius fit ex eo quod, ut infra patebit, reges aliique viri in maximis honoribus constituti secundum librum hexadis videntur occupare.

1 *Hostilius hosti filius* P: *Hetruscis* Lugd. et vett. edd. ‖ 2 *curialem* B. ‖ 3 *Hetruscorum* Lugd. et vett. edd. ‖ 4 *seculo* Ianus ‖ 5 *cetera quae* om. P: *caetera* Lugd. et vett. edd.: *habitus* om. P ‖ 6 *chorinthii* B ‖ 8 *quatuordecim* Lugd. et vett. edd. ‖ 9 *concione* Lugd. et vett. edd. ‖ 10 *insignens* P' ‖ 17 *istatum* B: *solertia* B, Lugd. et vett. edd.: *prouide princeps* B ‖ 18 *dixisse* B' ‖ 20 *duntaxat* Lugd.: *magistratuum* B ‖ 21 *caeteris* Lugd. et vett. edd. ‖ 23 *lucebat* P' ‖ 26 *dum adhaereret* Lugd. et aliqq. MSS ‖ 27 *asilum* P ‖ 29 *eumque* Lugd. et vett. edd. ‖ 33 *illustre* Ianus Lugd. et vett. edd. ‖ 34 *attributum* Ianus Lugd. et vett. edd. ‖ 35 *adnecteret* B' *annecterent* Ianus ‖ 36 *togam quoque* Lugd. et vett. edd. ‖ 37 *ingenuitates* B'.

VI.

(I. 7. 28 sqq.)

« Pelasgi, sicut Varro memorat, cum sedibus suis pulsi diversas 28
terras petissent, confluxerunt plerique Dodonam et incerti quibus haerent locis, eius modi accepere responsum — στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατούρνιον αἶαν — ἠδ' Ἀβορειγενέων, Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται — οἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμπετε Φοίβῳ — καὶ κεφαλὰς Ἀιδῃ καὶ τῷ πατρὶ τέμπετε φῶτα — acceptaque sorte cum Latium post errores plurimos appulissent, in lacu Cutiliensi enatam insulam deprehenderunt. amplissimus enim caespes, sive ille continens limus seu 29
paludis fuit coacta compage virgultis et arboribus in silvae licentiam comptus, iactantibus per amnem fluctibus vagabatur, ut fides ex hoc etiam Delo facta sit, quae celsa montibus, vasta campis, tamen per

Digitized by Google

maria migrabat. hoc igitur miraculo deprehenso has sibi sedes prae- 30
dictas esse didicerunt, vastatisque Siciliensibus incolis occupavere
regionem decima praedae secundum responsum Apollini consecrata
15 erectisque Diti sacello et Saturno ara, cuius festum Saturnalia nomi-
narunt. cumque diu humanis capitibus Ditem et virorum victimis Sa- 31
turnum placare se crederent propter oraculum in quo erat καὶ κεφα-
λὰς Ἄιδῃ καὶ τῷ πατρὶ πίμπετε φῶτα, Herculem ferunt postea cum
Geryonis pecore per Italiam revertentem suasisse illorum posteris, ut
20 faustis sacrificiis infausta mutarent inferentes Diti non hominum capita
sed oscilla ad humanam effigiem arte simulata, et aras Saturnias non
mactando viro sed accensis luminibus excolentes, quia non solum virum
sed et lumina φῶτα significat. inde mos per Saturnalia missitandis 32
cereis caepit ».

Praeclarum hoc fragmentum, ut est vocatum a Ritschelio « de M. Varronis disciplinarum libris », v. opusc. philol. ed. Lipsiae 1877 vol. 3 p. 395, legitur quoque partim in Lactantii Div. Inst. I. 21; et probabilius in libro VIII Rer. Div. continebatur qui, ut supra diximus, erat de feriis, ni forte ad lib. XIII referre volumus, ubi de sacris publicis agebatur. Bipontina editio, nescio quo consilio, integrum referre fastidivit. Vix de eo mentionem habet in Varronianis incertae sedis pag. 350, citatis primis verbis usque ad illud « accepere responsum », et reliqua scripto « etc. » praetermittit. Idipsum fere narrat Dionys. Hal. A. R. I. 19 et alibi. De lacu Cutiliensi loquitur Plinius Varronem secutus N. H. III. 17 § 109. Victimas humanas Saturno ab Romanis ante adventum Herculis in Italiam fuisse immolatas meminerunt Arnobius II. 68, Plutarch. Quaest. Rom. 32, Ovid. Fast. V. 625 sq. aliique multi.

1 *commemorat* Lugd. et vett. edd. ‖ 2 *adhaererent* Lugd. et vett. edd. ‖ 3 *accipere* B': CTЄXЄTЄ B ‖ 4 C. KЄΛON CATOYNIONA: Σατούνιαν aliqq. MSS. Lugd. et vett. edd. ‖ 5 αἵς Lugd. et vett. edd.: ἐκπίμψατε..... Ἄδῃ Lugd. et vett. edd. ‖ 7 *adpulissent* Ianus: *Cutiliensium natam* Lugd. et vett. edd. ‖ 8 *cespes* BP. Ianus et al. ‖ 9 *sylvae* Lugd. et vett. edd. ‖ 10 *omnem* P. Ianus et al.: *omne mare* Lugd. et vett. edd. ‖ 12 *ambulabat* P ‖ 15 *erectis* (om. que) Lugd.. et vett. edd.: *nominaverunt* vett. edd. ‖ 18 AΔH B: ΠHMΠЄTЄ P ‖ 19 *regionis* B ‖ 20 *hominus apita* B' ‖ 22 *accensos* B' ‖ 23 *fota* BP: *significant* Lugd. et vett. edd.

Digitized by Google

VII.

(I. 8. 1)

« Tullum Hostilium cum bis de Albanis, de Sabinis tertio triumphasset, invenio fanum Saturno ex voto consecravisse et Saturnalia tunc primum Romae instituta, quamvis Varro libro sexto, qui est de sacris aedibus, scribat aedem Saturni ad forum faciendam locasse L. Tarquinium regem, Titum vero Larcium dictatorem Saturnalibus eam dedicasse ». 1

In Bip. ed. p. 218 servantur tantum verba Varronis, scilicet « aedem Saturni » etc. usque ad verbum « dedicasse ». Sed notum est Reatinum scriptorem aliorum opiniones quamquam suae oppositas numquam dissimulasse, immo solitum fuisse ante suam prodere. Probabilissimum ergo est et eos memorasse, qui qui non L. Tarquinio, ut ipse asserebat, sed Tullo Hostilio fanum Saturni fanique dedicationem tribuebant. Nec me movet verbum « invenio » quo utitur Macrobius, ut res ab aliis inventas sibimetipsi plerumque adroget. Ceterum et ipse Varro alios reges Hostilio antiquiores meminit, quibus exstructio atque dicatio aedis Saturni in primis adscribebatur, ex. gr. T. Tatium Sabinum Romuli collegam, ut est videre in L. L. V. 74: cur ergo de Hostilio a nonnullis eiusdem aedis existimato auctore nullam mentionem fecisse credendus esset? — A Nostro videtur accepisse Dionysius Hal. R. R. VI. 1, qui Τίτον Λάρκιον et βασιλέα Ταρκύνιον opportune inter alios nominat: Livius autem II. 21 aliam opinionem tuetur.

2 *inveni* P ‖ 5 *lucium* BP: *Largium* Lugd. et vett. edd.

VIII.

(1. 8. 6 sqq.)

« Est porro idem Κρόνος καὶ χρόνος. 6

Hunc (Saturnum) aiunt abscidisse Caeli patris pudenda, quibus in mare deiectis Venerem procreatam, quae a spuma unde coaluit Ἀφροδίτη nomen accepit. ex quo intellegi volunt, cum chaos esset, tempora 7

Digitized by Google

non fuisse, siquidem tempus est certa dimensio quae ex caeli conversione colligitur.

Hunc aiunt filios suos solitum devorare eosdemque rursus evomere, per quod similiter significatur eum tempus esse a quo vicibus cuncta gignantur absumanturque et ex eo denuo renascantur. »

Augustinus, de civ. Dei VII. 19, omnia quae Varro circa Saturni significationem docebat brevissime tangit, et hanc physicam interpretationem de Κρόνου eadem vi atque χόρνου ab eo inter alia testatur didicisse. Quamquam autem Reatinus scriptor antiquissimum Latii deum non videtur cum Graecorum Κρόνῳ unum putasse atque idem numen, aliorum tamen opinionem cum referre voluerit, integram certissime tradidit, ac Saturni casus et temporis vices inter sese comparavit, ut mos erat physicorum. Hæc autem opinio tunc Romae communissima erat ac praeclaris theologis acceptissima: invaluerat enim usus Romanorum et Graecorum deos ita inter sese copulandi, ut adfinitas unitatem pareret, prout sero magna ex parte contigit. Cicero de nat. deor. II. 25 haec habet « Κρόνος enim dicitur, qui est idem ac χρόνος ». Idipsum praedicant Dionys. Hal. A. R. I. 38, Plutarch. Quaest. Rom. 12 et de Is. et. Osir. 32, Arnob. III. 29 et alibi, Isidor. Orig. VIII. 11. 31 etc. Locus autem, in quo Varro suam aliorumque doctrinam de Saturno exposuit, erat iuxta eundem Augustinum liber XVI et postremus Rer. Div.: dii vero selecti dicebantur Ianus Iupiter Saturnus Genius Mercurius Apollo Mars Vulcanus Neptunus Sol Orcus Liber Tellus Ceres Iuno Luna Diana Minerva Venus Vesta.

1 *XPONOO* P' ‖ 2 *Caelii* Lugd. et al. ‖ 3 *afrodite* BP ‖ 4 *intelligi* Lugd. et vett. edd. ‖ 9 *adsumanturq.* B.

IX.

(1. 9. 11)

« Alii (Ianum) mundum id est caelum esse voluerunt Ianumque ab eundo dictum, quod mundus semper eat, dum in orbem volvitur et ex se initium faciens in se refertur. »

Ita Varronem in lib. XVI Rer. Div. de Iano ratiocinatum esse adfirmat Augustinus de Civ. Dei VII. 8. Eandem interpre-

Digitized by Google

tationem ostendunt Ovidius Fast. I. 117 sq., Servius Aen. VII. 610, Lydus de mens. IV. 2, Arnobius III. 29, aliique nonnulli

1 *idem caelum* in aliqq. MSS. et edd.

X.

(I. 9. 16)

« Iunonium (vocamus Ianum) quasi non solum mensis Ianuarii sed 16
mensium omnium ingressus tenentem; in dicione autem Iunonis sunt omnes Kalendae, unde et Varro libro quinto Rerum Divinarum scribit Iano duodecim aras pro totidem mensibus dedicatas. »

Etiam hic Bip. editio p. 206 verba Varronis tantum refert praecedentia omittens, uti quae potius Iunonem quam Ianum respiciunt. Sed intelligi nequit cur Iano duodecim arae pro totidem mensibus dicatae sint, nisi prius de Iani cognomento Iunonio deque omnibus Kalendis Iunoni consecratis dictum fuerit. Varro autem cum aliquid asserebat, cur ita res se haberet illico et simul investigabat, pluresque causas magis vel minus probabiles afferebat. Ceterum ipse Macrobius Reatini verba cum praecedentibus coniungit vi particulae « unde ». Praeterea hunc deum Iunonium vocari ob Iunonem portas mensium aperientem scribit quoque Servius ad Aen. VII. 610 et alibi. Laur. Lydus IV. 2 similia notat, aliaque Varroni tribuit circa idem argumentum.

2 *omnium mensium* P: *gressus regentem* P. *in dicione* P: *in ditione* B. Ianus et al.: *autem* om. B ‖ 3 *Calendae* Lugd et vett. edd.: *humanarum* Lugd. et vett. edd.

XI.

(I. 9. 17 sq.)

« Cum bello Sabino quod virginum raptarum gratia commissum est 17
Romani portam quae sub radicibus collis Viminalis erat, quae postea ex eventu Ianualis vocata est, claudere festinarent, quia in ipsam hostes ruebant, postquam est clausa mox sponte patefacta est, cumque iterum

Digitized by Google

ac tertio idem contigisset, armati plurimi pro limine quia claudere nequibant custodes steterunt, cumque ex alia parte acerrimo praelio certaretur, subito fama pertulit fusos a Tatio nostros. quam ob causam Romani qui aditum tuebantur territi profugerunt. cumque Sabini per portam patentem inrupturi essent, fertur ex aede Iani per hanc portam magnam vim torrentium undis scatentibus erupisse multasque perduellium catervas aut exustas ferventi aut devoratas rapida voragine deperisse. ea re placitum ut belli tempore velut ad urbis auxilium profecto deo fores reserarentur. » 18

Fabellam istam Varro non explicita sed subintellecta mentione attingit in L. L. V. 156, ubi testatur ad Ianum Geminum « aquas caldas » fuisse. Cui satis perspicua est agendi ratio quam Noster servat in libris de Lingua Latina, quoad ea quae reponit ex Antiquitatibus, sufficeret quidem operta haec mentio, ut plenam narrationem ipsi vindicaret. At nobis alia indicia suppetunt. Augustinus enim, qui ubi aliena testimonia non adducit e Nostro haurit, de hoc prodigio in Civ. Dei¦ III. 13 se praebet edoctum. Neque obstat eum scripsisse « portis dolo apertis », quo vulgato miraculo ianuarum sponte patefactarum se minime credulum ostenderet; namomnia qua e ibi memorat in Romanorum contumeliam memorat, ut colligitur ex eiusdem capituli titulo « Quo iure quo foedere Romani obtinuerint prima coniugia ». Eadem habet Servius ad Aen. I. 291, et Ovidius portentum istud solemniter canit in Fast. I. 163 sqq. Ad inveniendum autem locum in quo Varro haec narravit potest nobis dux fieri Macrobius ipse qui, ut declararet qua ex causa Ianus Clusivii nomine donetur, ista descripsit. Probabiliter ergo conicimus eadem a Varrone in XVI Rer. Div. tradita fuisse, ubi de Iano Ianique cognomentis una cum diis selectis deorumque qualitatibus disseruit, uti sopra monuimus. Sed hoc statuo non sine erroris formidine; nam veri simile putem fabellam in secunda hexade librorum Rer. Hum. contineri potuisse, ubi de locis dicebatur, ideoque de Roma deque urbis aedificiis viis portis regionibus agendum erat: hic autem de porta Ianuali sermo fit, quae a Iano sumpsit nomen. Cfr. Varr. de L. L. V. 165.

1 *cummissum* B' ‖ 2 *coluis* B ‖ 3 *euntu* B': *hostibus* B' ‖ 4 *irruebant* Lugd. et vett. edd. ‖ 6 *nequibat* P': *ex altera* Lugd. et vett. edd. ‖ 7 *tacio* P ‖ 9 *irrupturi* Lugd. Ianus vett. edd.: *esset* B': *exsede* BP ‖ 11 *exutas* B: *ferventi aqua* Ianus et cett. edd.: *vortigine* aliqq. edd. ‖ 12 *deperiisse* Lugd. et vett. edd.

Digitized by Google

XII.

(I. 10. 12 sqq.)

« Ferunt regnante Anco aedituum Herculis per ferias otiantem deum 12
tesseris provocasse ipso utriusque manum tuente, adiecta condicione
ut victus cena scortoque multaretur. victore itaque Hercule illum Accam 13
Larentiam, nobilissimum id temporis scortum, intra aedem inclusisse
cum cena eamque postero die distulisse rumorem quod post concubitum
dei accepisset munus, ne commodum primae occasionis cum se domum
reciperet, offerendae aspernaretur. evenisse itaque ut egressa templo mox 14
a Carutio capto eius pulchritudine compellaretur. cuius voluntatem secuta
adsumptaque nuptiis post obitum viri omnium bonorum eius facta
compos, cum decederet, populum Romanum nuncupavit heredem. et 15
ideo ab Anco in Velabro loco celeberrimo urbis sepulta est ac sollemne
sacrificium eidem constitutum, quo dis Manibus eius per flaminem
sacrificaretur, Iovique feriae consecratae, quod aestimaverunt antiqui
animas a Iove dari et rursus post mortem eidem reddi. »

Tota haec historia ab Augustino descripta est in Civ. Dei VI. 7, qui ex Varrone procul dubio transtulit in sua, quamvis id conceptis verbis non fateatur. Et Varroni eam tribuit Franckenius in opusculo suo « Dissertatio literaria inauguralis exhibens fragmenta M. Ter. Varronis quae inveniuntur in libris S. Augustini de civit. Dei etc, Lugd. Batav. 1836 » p. 45 sqq. Et ad eam quidem respicit Noster in L. L. VI. 23 sq. cum Larentinal memorat, in quo loco, ut Muellerus notat, nonnulla interciderunt ad Tarutium seu Carutium Larentiae virum probabiliter pertinentia. Quae autem ibi leguntur satis sunt ut hanc narrationem Varroni adscribamus: commemoratur enim Acca Larentia cui sacerdotes publice parentant, sacrificium quod in eius honorem fit in Velabro, necnon et sepulchrum. Eadem prope inveniuntur in Liv. XXXIX. 9. 5, Dionys, Hal. A. R. I. 84 et 87, Plutarch. Quaest. Rom. 35, Lactant. I. 20. 4 seq., Plin. N. H. XVIII. 2, Gell. IV. 7, et in quibusdam aliis. Varronianus liber in quo haec narrabantur VIII Rer. Div. fuisse videtur, nam ibi, ut supra dictum est, de feriis agebatur, hic autem Larentinalia retractantur.

1 *Anco* om. B ‖ 2 *conditione* BP, Ianus, Lugd. et vett. edd. ‖ 3 *coena* Ianus Lugd. et vett. edd.: *cena* BP: *mulctaretur* Lugd. et vett. edd.: *illam* P:

Digitized by Google

per id tempus Lugd. et aliqq. edd. ‖ 5 *dena* P: *coena* Lud. Ianus et vett. edd. ‖ 6 *dei* om. B′: *di* P: *nec* P: *mox templo* Lugd. et aliqq. edd. ‖ 8 *ei* B′: *sequuta assumptaque* P: *sumptaque* Lugd. et vett. edd,: ‖ 11 *sculpta est* Lugd. et vett. edd.: *sollépne* P: *solenne* Lugd. et vett. edd. ‖ 12 *Diis* Lugd. et vett. edd. ‖ 13 *quia existimaverunt* Lugd. et aliqq. edd.

XIII.

(I. 10. 19)

« Deam Opem Saturni coniugem crediderunt et ideo hoc mense 19
(Ianuario) Saturnalia itemque Opalia celebrari, quo Saturnus eiusque uxor tam frugum quam fructuum repertores esse credantur. itaque omni iam fetu agrorum coacto ab hominibus hos deos coli quasi vitae cultioris auctores. »

Ut locum istum Varroni tribuam, auctor mihi est Varro ipse qui in L. L. VI. 22 haec de feriis reponit « Saturnalia dicta ab Saturno, quod eo die feriae eius, ut post diem tertium Opalia opis ». Saturnum et Opem putatos fuisse homines atque ideo repertores frugum et fructuum existimatos Varro certissime tradidit, si fidem habemus Lactantio qui I. 13 inter eos, qui Saturnum hominem fuisse memoriae prodiderunt, etiam Nostrum recenset. Hoc autem non ita est intelligendum ac si Varro Evemeri doctrinas professus esset circa deos, ut Franckenius op. cit. p. 119 nimis leviter arbitratur: opinionem istam sicut et ceteras Reatinus scriptor more suo non reticuit. Opem coniugem Saturni dictam fuisse notat Festus ap. Paulum lib. XIII p. 187 Muel.: hunc deum culturae agrorum praesidere creditum, et vitae cultioris habitum vel auctorem, scriptores omnes uno ore confirmant; inter quos mihi sat est meminisse Dionys. Hal. A. R. I. 38, Plutarch. Quaest. Rom. 42, Arnob. VI. 12, Isid. Orig. VIII. 11. 32. Liber in quo Saturnalia atque Opalia exponebantur VIII Rer. Div. erat, ubi de feriis.

4 *foetu* Lugd. et vett. edd.: *cultioribus* B′ ‖ 5 *autores* Lugd. et vett. edd.

XIV.

(I. 10. 20)

« Quos etiam (Saturnum et Opem) non nullis caelum ac terram esse 20
persuasum esse Saturnumque a satu dictum cuius causa de caelo est,

Digitized by Google

et terram Opem cuius ope humanae vitae alimenta quaeruntur, vel ab opere per quod fructus frugesque nascuntur. »

Ita Varro Saturnum et Opem interpetratus est in XVI Rer. Div.; nam in L. L. V. 64 haec resumit « Quare quod caelum principium, ab satu est dictus Saturnus. — Terra Ops, quod hic omne opus, et hac opus ad vivendum ». Et iterum ibid. § 57 « Principes dei Caelum et Terra; Idem principes in Latio Saturnus et Ops ». Praeterea notum est Varronem cunctos deos ad naturalem caeli ac terrae significationem revocasse, vel, ut ait Augustinus de civ. dei VII. 6, ad mundi partes. Servius ad Virg. Georg. I. 21 refert Saturnum a satione dictum esse Satorem deum, et Arnobius IV. 9 « Saturnum praesidem sativis » vocat.

1 *caelum et terram* Lugd. et al. edd. ‖ 2 *persuasum est* P. Ianus Lugd. et vett. edd.

XV.

(I. 11. 3 seqq.)

« Anno post Romam conditam quadringentesimo septuagesimo quarto 3
Autronius quidam Maximus servum suum verberatum patibuloque
constrictum ante spetaculi commissionem per circum egit: ob quam
causam indignatus Iuppiter Annio cuidam per quietem imperavit ut
5 senatui nuntiaret non sibi placuisse plenum crudelitatis admissum. quo 4
dissimulante filium ipsius mors repentina consumpsit ac post secundam
denuntiationem ob eandem neglegentiam ipse quoque in subitam corporis debilitatem solutus est. sic demum ex consilio amicorum lectica
delatus senatui retulit et vix consummato sermone sine mora recu-
10 perata bona valitudine curia pedibus egressus est. ex senatus itaque 5
consulto et Maenia lege ad propitiandum Iovem additus est illis Circensibus dies isque instauraticius dictus est non a patibulo, ut quidam
putant Graeco nomine ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, sed a redintegratione, ut Varroni placet, qui instaurare ait esse instar novare. »

In Bip. ed. p. 371 haec tantum servantur « instauraticius dies dictus est a redintegratione, ut Varroni placet » etc. Sed ineptum est ac falsum opinari Varronem de instauraticio die locu-

Digitized by Google

tum qui sit hic dies et cuius rei gratia institutus dicere neglexisse. Eum autem revera dixisse mihi est argumento in primis Macrobius ipse: si enim verborum huius conlocationem et syntaxin perpendimus, haec liquido eruuntur « isque dies, id est qui ex senatus consulto et Maenia lege ad propitiandum Iovem additus est illis Circensibus, dictus est a redintegratione, ut Varroni placet » etc. Nimirum « isque » relativus est, et consequentia praecedentibus adnectit. Si ergo Varro diem propitiando Iovi dicatum memoravit, divinae irae causam aperire profecto non omisit ac rem enarravit. Praeterea dubitari nequit quin ea Noster tradere curaverit, quae scriptores aequales vel suppares indignum duxerunt praetermittere: idem enim prodigium descripserunt Cic. Divinat. I. 26, Livius II. 36, Dionys. Hal. A. R. VII c. 68, Plutarch. in Coriol. c. 24, Valer. Max. I. 7. 4, Arnob. VII. 39, Lactant. II. 7, Augustin. de Civ. Dei IV. 26 — Liber in quo Noster haec docuit IX Rer. Div. probabiliter erat, ubi de ludis Circensibus dicebatur. Cfr. Merkel. ad Ovid. Fast. p. CLIX.

2 *Atronius* Lugd. et vett. edd. ‖ 3 *comissionem* B': *ter cir cu egit* P: *ob hanc* Lugd. et vett. edd. ‖ 5 *nunciaret* P ett aliqq. edd.: *quods simulante* B': *morte* in aliqq. edd. ‖ 7 *negligentiam* Ianus Lugd. et al. edd. ‖ 10 *valetudine* Lugd. et vett. edd. ‖ 11 *menia* P: *Mevia* Lugd. et vett. edd.: *propiciandum* P ‖ 12 *isqui* P: *instauratitius* Ianus Lugd. et vett. edd. ‖ 13 ΑΠΟΥCΤΑΥΡΟΥ P.

XVI.

(I. 11. 36 seqq.)

« Nonis Iuliis diem festum esse ancillarum tam vulgo notum est ut 36
nec origo nec causa celebritatis ignota sit. Iunoni enim Caprotinae die
illo liberae pariter ancillaeque sacrificant sub arbore caprifico in me-
moriam benignae virtutis quae in ancillarum animis pro conservatione
5 publicae dignitatis apparuit. nam post urbem captam cum sedatus 37
esset Gallicus motus, respublica vero esset ad tenue deducta, finitimi
oportunitatem invadendi Romani nominis aucupati praefecerunt sibi
Postumium Livium Fidenatium dictatorem, qui mandatis ad senatum
missis postulavit ut, si vellent reliquias suae civitatis manere, matres- 38
16 familias sibi et virgines dederentur. cumque patres essent in ancipiti
deliberatione suspensi, ancilla nomine Tutela seu Philotis pollicita est
se cum ceteris ancillis sub nomine dominarum ad hostes ituram habi-

Digitized by Google

taque matrumfamilias et virginum sumpto hostibus cum prosequentium lacrimis ad fidem doloris ingestae sunt. quae cum a Livio in castris 39
distributae fuissent, viros plurimo vino provocaverunt diem festum apud se esse simulantes. quibus soporatis ex arbore caprifico quae castris erat proxima signum Romanis dederunt. qui cum repentina 40
incursione superassent, memor beneficii senatus omnes ancillas manu iussit emitti dotemque eis ex publico fecit et ornatum quo tunc erant usae gestare concessit diemque ipsum Nonas Caprotinas nuncupavit ab illa caprifico ex qua signum victoriae ceperunt, sacrificiumque statuit annua sollemnitate celebrandum, cui lac quod ex caprifico manat propter memoriam facti praecedentis adhibetur. »

Narrationem hanc Varronianam esse pene Varro ipse nos monet in L. L. VI. 18, ubi cum de Fidenatibus aliisque finitimis locutus sit, qui adversus Romam coniuraverant, haec adiecit « de quibus rebus Antiquitatum libri plura referunt », moxque Nonas Caprotinas atque mulierum sacrificium sub caprifico peragendum commemoravit. Lacunam quae ibid. sequitur locum occupare, in quo de Philotidis vel Tutulae rebus gestis mentio erat, suspicatur Muellerus in nota, et Niebuhri T. II p. 641 contrariam opinionem velut improbabilem reicit. Et ex Varrone procul dubio eam fabulam hausit Plutarchus qui in Romul. 29 et Camill. 33 Θεραπαίναν Τουτούλαν ἢ Φιλωτίδα commendat, et de Nonis Caprotinis in Romul. loc. cit. ita scribit: Καὶ Καπρατῖναι μὲν αἱ νῶναι καλοῦνται διὰ τὸν ἐρινεὸν καπρίφικον ὑπὸ Ῥωμαίων ὀνομαζόμενον. Eadem fere meminit Arnobius III. 30, ubi vid. not. Hildebr. Antiquitatum liber in quo haec inerant VIII Rer. Div. esse debuit, nam et heic de aliquibus feriis agitur, id est de die Poplifugia deque Nonis Caprotinis simul celebrandis.

1 *tam vulgo* om. P' ‖ 2 *et causa* B, Ianus et aliqq. edd. ‖ 4 *Benignae* Lugd. et aliqq. edd.: *in* om. Lugd.: *conversatione* B ‖ 8 *Posthumium* Lugd. et. vett. edd. ‖ 9 *matresfamiliae* BP Ianus, Lugd. et cett. edd. ‖ 11 *tutula* aliqq. MSS. ‖ 12 *d**ominarum* B ‖ 13 *sumto* B' ‖ 14 *lachrymis* Lugd. et. vett. edd. ‖ 15 *plurima* B ‖ 19 *iis* P: *his* B et Ianus ‖ 20 *us*ae* B ‖ 21 *coeperunt* B et vett. edd. ‖ 22 *sollepnitate* P: *solennitate* Lugd. et vett. edd.

XVII.

(I. 12. 5)

« Haec fuit Romuli ordinatio, qui primum anni mensem genitori suo 5
Marti dicavit. quem mensem anni primum fuisse vel ex hoc maxime

Digitized by Google

probatur quod ab ipso Quintilis quintus est et deinceps pro numero nominabantur. »

Haec erat communis Romanorum doctrina circa Martium mensem, ut legimus in Ovid. Fast. III. 97 sqq., Solin. Polyh. c. 1 p. 3, Plutarch. Num. c. 19, Serv. ad Virg. Georg. I. 43, Isid. Orig. V. 33, 5, Laurent. Lyd. I. 14 et 16; IV. 63. Eadem quoque Varro professus est in libro de mensibus, qui, ut superius statui, XV. Rer. Hum. valde probabiliter fuit; nam Censorinus qui documenta sua circa menses e Varrone aperte derivavit, c. 22. p. 120 sqq. ed. Havercamp, haec ponit « Martium mensem a Marte quidem nominatum », et infra « Quintilem quod loco apud Latinos fuerit quinto, item Sextilem ac deinceps ad Decembrem a numeris adpellatos ». Idem Varro ea confirmat in L. L. VI. 33 et 34 his verbis « Mensium nomina fere aperta sunt, si a a Martio, ut antiqui constituerunt, numeres. Nam primus a Marte — Dehinc quintus Quintilis et sic deinceps usque ad Decembrem a numero ».

1 *Quintilis qui quintus* aliqq. MSS. et edd.

XVIII.

(I. 12. 8 sqq.)

« Secundum mensem nominavit (Romulus) Aprilem, ut quidam putant cum adspiratione quasi Aphrilem, a spuma quam Graeci ἀφρὸν vocant, unde orta Venus creditur. et hanc Romuli asserunt fuisse rationem ut primum quidem mensem a patre suo Marte, secundum ab Aeneae matre Venere nominaret, et hi potissimum anni principia servarent a quibus esset Romani nominis origo, cum hodieque in sacris Martem patrem, Venerem genetricem vocemus. 8

Sed Cingius in eo libro quem de fastis reliquit ait imperite quosdam opinari Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse, cum nullus dies festus nullumque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem a maioribus institutum sit, sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla ut ceterorum caelestium laus celebretur. Cingio etiam Varro consentit adfirmans nomen Veneris ne sub regibus quidem apud Romanos vel Latinum vel Graecum fuisse et ideo non potuisse mensem a Venere nominari. sed cum fere ante aequinoctium vernum triste sit caelum et nubibus obductum, sed et mare navigantibus clausum, terrae etiam 12 13 14

Digitized by Google

ipsae aut aqua aut pruina aut nivibus contegantur eaque omnia verno id est hoc mense aperiantur, arbores quoque nec minus cetera quae continet terra aperire se in germen incipiant: ab his omnibus mensem Aprilem dici merito credendum est, quasi Aperilem sicut apud Athenienses ἀνθεστηριών idem mensis vocatur ab eo quod hoc tempore cuncta florescant. »

Neque hunc locum quippe non parvi momenti Bipontina ed. magnopere curat, quem in pag. 371 ad ea paucissima perstringit, quae leguntur a verbis « Cingio etiam Varro consentit » usque ad « nominari ». Sed quam falso iudicio usa sit breviter demonstrabo. In lib. VI L. L. (in quo opere, ut non semel monui, plura summatim reponuntur, quae auctor in Antiquitatum libris iam exposuerat) huius fragmenti sensus integer traditur, quamquam exiguis verbis comprehensus; nam in cit. § 23 duo haec elucent: eorum opinio, qui mensem Aprilem a Venere ducebant, quos Varro Fulvium et Iunium testatur fuisse, et opinio eiusdem Varronis qui Aprilem ab aperiendo asserit nominatum. En eius verba « Secundus, (mensis) ut Fulvius scribit et Iunius, a Venere quod ea sit Aphrodite; quoius nomen ego antiquis literis quod nusquam inveni, magis puto dictum, quod ver omnia aperit, Aprilem ». Omnia ergo quae Macrobius heic prodit iam a Varrone tradita erant. Sed levis atque omnino erronea censenda est opinio quam Ianus ad loc. Macrobii et Muellerus ad cit. loc. Varronis tueri videntur, id est Macrobium haec scribentem Varronis cit. lib. et loc. de L. L. ante oculos habuisse: omnia enim, quae ad mensium nomina et institutionem attinent, in Antiquitatum libris fusius explicabantur et probabilius, ut supra dixi, in XV° Rer. Hum. Censorinus quippe non e libris de L. L. sed ex Antiquitatibus eadem desumpsit quae Macrobius autumat de hoc mense nec non et de ceteris aliis, ut infra videbimus: illius autem verba « de die natal. » c. 22 haec sunt « Aprilem autem non ab Aphrodite sed ab aperiendo, quod tunc fere cuncta gignantur et nascentur et nascendi claustra aperiat natura ». Eadem testati sunt Plutarchus loc. cit., Laurent. Lyd. IV. 44 sqq., Isid. loc. cit. et alii nonnulli.

1 *nominau* B: *putat* P ‖ 2 *aspiratione* Ianus, Lugd. et vett. edd.: *afron* BP ‖ 3 *adserunt* Ianus aliiqq.: *fuisse asserunt* P ‖ 7 *genitricem* P. Ianus aliiq. 8 *Cincius* aliqq. edd.: *festis* P ‖ 12 *celebratur* Lugd. et vett. edd.: *celebraretur* in aliqq. MSS. et edd.: *oangio* P' ‖ 13 *affirmans* P. Lugd. et vett.

Digitized by Google

edd.: *regulis* P: *quidem Romanorum* P ‖ 14 *gecum* P' ‖ 15 *ver.nu* P ‖ 17 *nubibus* BP: *contegatur* P' ‖ 18 *caetera* Lugd. et vett. edd. ‖ 21 ANTƐCTƐPIΩN *P*.

XIX.

(I. 12. 19)

« Contendunt alii Maiam Mercurii matrem mensi (Maio) nomen dedisse, hinc maxime probantes quod hoc mense mercatores omnes Maiae pariter Mercurioque sacrificant. » 19

De mensis Maii nomine atque origine diversae fuerunt Romanorum eruditorum sententiae, quas Macrobius ab aliis congestas transcripsit. Duae autem erant praecipuae: altera Maium a maioribus dictum tenebat, altera vero a Maia. De illa, praeter Macrobium qui Fulvium Nobiliorem allegat, testimonium faciunt Ovidius Fast. V. 327, Plutarch. Num. loc. cit., Isid. Orig. loc. cit., nec non et ipse Varro qui in L. L. loc. cit., haec notat: « Tertius (mensis) a maioribus Maius ». Sed in Antiquitatibus a Maia potius quam a maioribus docuisse huic mensi nomen inditum refert Censorinus loc. cit. his verbis: « Maium vero non a maioribus sed a Maia nomen accepisse, quod eo mense tam Romae quam antea in Latio res divina Maiae fiat et Mercurio ». Idipsum prae aliis monet Laurentius Lydus IV. 53, ubi Maiam eandem existimatam esse ac Terram sic animadvertit: « τιμῶσιν οὖν κατὰ τοῦτον (τὸν Μάϊον) τὴν Μαῖαν, τουτέστι τὴν Γῆν, θεραπεύοντες ». De Varroniano Antiquitatum libro in quo talia de Maio adfirmabantur vide locum praecedentem.

3 *mercuroq.* P': *sacrificabant* aliqq. MSS. et edd.

XX.

(I. 12. 27 sq.)

« Haec (Fauna) apud Graecos, ἡ θεὸς γυναικεία dicitur, quam Varro Fauni filiam tradit adeo pudicam ut extra γυναικωνῖτιν numquam sit egressa nec nomen eius in publico fuerit auditum nec virum umquam viderit vel a viro visa sit, propter quod nec vir templum eius ingreditur. unde et mulieres in Italia sacro Herculis non licet interesse, quod 27 28

Digitized by Google

Herculi cum boves Geryonis per agros Italiae duceret, sitienti respondit mulier aquam se non posse praestare, quod feminarum deae celebraretur dies nec ex eo apparatu viris gustare fas esset. propter quod Hercules facturus sacrum detestatus est praesentiam feminarum et Potitio ac Pinario sacrorum custodibus iussit ne mulierem interesse permitterent. »

Exstant haec partim in Lactantio I. 22. 10, Serv. ad Aen. VIII. 314, Plutarch. Q. R. 60, Tertullian. ad nat. II. 9 etc.; sed in Bipont. ed. p. 357 hic locus usque ad verbum « ingreditur » exscriptus est, eo reiecto quod attinet ad mulieres ab sacro Herculis prohibendas. Atqui pars haec posterior ita priori adhaeret, ut recto consilio seiungi nequeat: praeceptum enim Herculis ne mulieres eius sacro intersint a nimia Faunae in homines severitate provocatum est, ut etiam e particula « unde » facile arguitur. Cfr. quoque Propert. IV. 9. Itaque Varro alteram rem cum altera coniunxit et narrationem explevit. Quapopter Eyssenhardt totum fragmentum, ut ego descripsi, tamquam Varronis doctrinam considerans peculiaribus characteribus merito distinxit. Librum, in quo locus inerat, Merkel. ad Ovid. Fast. p. CLXXXVIII Rer. Div. XIV censet fuisse, ubi de dis certis quaerebatur: mihi autem probabilius videtur ad XV ea referre, ubi de dis incertis, de quorum cultu minus constaret.

1 TYNAIKΘIA B ‖ 2 *tradidit* Lugd. et vett. edd.: *esse tradidit* aliqq. edd.: TYNAIKΩNITIN B: *nunquam* Lugd. et vett. edd. ‖ 4 *nec a viro* P et aliqq. edd. ‖ 5 *quia Herculi* Lugd. et aliqq. edd. ‖ 6 *gerionis* B: *gerronis* P ‖ 7 *die* B' ‖ 10 *potio* P.

XXI.

(I. 13. 30)

« Iunius Maium sequitur aut ex parte populi, (id est ex iunioribus) ut supra diximus, nominatus aut ut Cingius arbitratur quod Iunonius apud Latinos ante vocitatus diuque apud Aricinos Praenestinosque hac appellatione in fastos relatus sit. »

Censorinus lib. et loc. cit. haec iuxta Varronis doctrinam circa mensem Iunium statuit « Iunium quoque a Iunone potius quam iunioribus, quod illo mense maxime Iunoni honores ha-

Digitized by Google

beantur ». Eadem tradunt omnes, inter quos sat est meminisse Ovid. Fast. VI. 26 et v. 59 sqq. et Fest. apud Paul. lib. IX p. 103 Muell., ubi haec leguntur « Iunium mensem dictum putant a Iunone. Iidem ipsum dicebant Iunonium et Iunonalem ». Cingii testimonium a Macrobio invocatum non impedit quominus locus Varroni tribuatur, nam Cingii doctrinam Noster in multis libenter amplexatus est, et saepius utriusque nomen coniunctim refertur. Vid. supra fragm. XVIII de mense Aprili. In cit. loc. de L. L. communis tantum opinio perhibetur his verbis « quartus (mensis) a iunioribus dictus Iunius »; sed neque hoc Censorini assertionem infirmare potest, quia non omnia quae Varro in Antiquitatibus docuit, in libris de L. L. denuo maluit recensere. Etiam hic locus inesse debuit in libro de mensibus id est in XV Rer. Hum. ut supra.

2 *Cincius* in aliqq. MSS. et edd. ‖ 4 *apellatione* B.

XXII.

(I. 13. 3)

« De duobus (mensibus) priorem Ianuarium nuncupavit (Numa) primumque anni esse voluit, tamquam bicipitis dei mensem respicientem ac prospicientem transacti anni finem futurique principia, secundum dicavit Februo deo, qui lustrationum potens creditur. lustrari autem eo mense civitatem necesse erat, quo statuit ut iusta dis Manibus solverentur. » 8

In lib. VI de L. L. ad n. 34 haec legimus « Prior (mensis) a principe deo Ianuarius appellatus; posterior, ut idem dicunt scriptores, (Fulvius et Iunius) ab diis inferis Februarius appellatus, quod tum his parentetur ». Sed Varronis opinionem in Antiquitatibus expressam, id est in XV Rer. Hum., ut non semel conicere ausus sum, pressius et clarius edocet nos Censorinus loc. cit. ita scribens « Ianuarium ab Iano, Februarium a Februo. Est Februum quidquid expiat purgatque ». Idem testantur Ovid Fast. II. 19 seqq., Plutarch. Num. 19, Laurentius Lydus IV. 20, Festus ap. Paulum lib VI p. 85 Muell. et alii Reatini doctrinarum haeredes.

2 *tanquam* Lugd. et vett. edd. ‖ 3 *futuri* P: *principio* B' ‖ 5 *Diis* Lugd. et vett. edd.

Digitized by Google

XXIII.

(I. 13. 20 seq.)

« Quando autem primum intercalatum sit varie refertur. et Macer quidem Licinius eius rei originem Romulo adsignat. Antias libro secundo Numam Pompilium sacrorum causa id invenisse contendit. Iunius Servium Tullium regem primum intercalasse commemorat, a quo et nundinas instituta Varroni placet. Tuditanus refert libro tertio Magistratuum decemviros, qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse. Cassius eosdem scribit auctores. Fulvius autem id egisse M. Acilium consulem dicit ab urbe condita anno quingentesimo sexagesimo secundo, inito mox bello Aetolico. sed hoc arguit Varro scribendo antiquissimam legem fuisse incisam in columna aerea a L. Pinario et Furio consulibus, cui mensis intercalaris adscribitur. »

Bipont. Varronis ed. p. 371 in duas breves sententias locum hunc dispertit, quarum altera nundinas a Servio Tullio institutas memorat, altera vero de columna aerea est in qua fuit lex incisa. Qui autem diligenter Macrobianam paginam relegerit facile percipiet ibi tantum agi de diebus intercalaribus, quorum origo et historia declarantur. Scriptores vero quorum diversa opininio enarratur ii maxime sunt, qui utpote Varrone antiquiores vel eius aequales poterant quippe ab eo in testimonium adduci, et reipsa non semel adducti sunt, uti liquet ex eius libris qui supersunt. De Fulvio et Iunio supra vidimus. Licinius Macer tribunus plebis fuit a. u. 681 amicus et aequalis Sisennae et a Cicerone repetundarum accusatus. Valerius Antias vivebat circa annum 633. Sempronius Tuditanus consul fuit an. 625. Cfr. Bähr « Geschichte d. römischen Literatur » II p. 20. Denique Cassius Hemina annalium scriptor vita fungebatur an. 608 iuxta ipsum Bähr loc. cit. Si ergo hic cernimus Varronem bis a Macrobio nominatum, primo cum negat Servium Tullium regem fuisse intercalationis auctorem, ut cui tantum institutio nundinarum debeatur, secundo cum Fulvii opinionem arguit pro falsa, totam hanc historiam a Nostro expositam fuisse certi sumus eique ideo adscribendam. Inerat fortasse in libro ubi de annis actum est, videlicet in XVI Rer. Hum.,

Digitized by Google

ut mihi videtur probabilius. Fere similia inveniuntur circa mensem intercalarem in Plutarch. Num. 18 et in Censorin. 20. 2 seqq.

1 *interkalatum* P ‖ 2 *assignat* Lugd. et vett. edd. ‖ 4 *interkalasse* P | 5 *tutidianus* B ‖ 7 *eodem* B': *marcum* P: *martiu* B: *Martium* Lugd. et vett. edd. ‖ 9 *aetonico* P: *sed huno* P et aliqq. edd. ‖ 10 *lucio* BP: *ponario* B: *Pinatio* Lugd. et vett. edd. ‖ 11 *funio* P: *mentio* BP: *mensis intercalaris* coni. Zeunius: *ascribitur* Janus Lugd. et cet. edd.

XXIV.

(I. 15. 10 seqq.)

« Sacrificio a rege et minore pontifice celebrato idem pontifex ca- 10
lata, id est vocata, in Capitolium plebe iuxta curiam Calabram, quae casae Romuli proxima est, quot numero dies a Kalendis ad Nonas superessent pronuntiabat, et quintanas quidem dicto quinquies verbo καλῶ, septimanas repetito septies praedicabat. verbum autem καλῶ 11
Graecum est, id est voco, ut hunc diem, qui ex his diebus qui calarentur primus esset, placuit Kalendas vocari. hinc et ipsi curiae ad quam vocabantur Calabrae nomen datum est, et classi, quod omnis in eam populus vocaretur. ideo autem minor pontifex numerum dierum 12
qui ad Nonas superessent calando prodebat, quod post novam lunam oportebat Nonarum die populares qui in agris essent confluere in urbem accepturos causas feriarum a rege sacrorum sciturosque quid esset eo mense faciendum. unde quidam hinc Nonas aestimant dictas quasi 13
novae initium observationis, vel quod ab eo die semper ad Idus novem dies putentur, sicut apud Tuscos Nonae plures habebantur, quod hi nono quoque die regem suum salutabant et de propriis negotiis consulebant. Iduum porro nomen Tuscis, apud quos is dies Itis vocatur, sum- 14
ptum est. Item autem illi interpretantur Iovis fiduciam. nam cum Iovem accipiamus lucis auctorem, unde et Lucetium Salii in carminibus canunt et Cretensens Δία τὴν ἡμέραν vocant, ipsi quoque Romani Diespitrem appellant ut diei patrem. iure hic dies Iovis fiducia vocatur, 15
cuius lux non finitur cum solis occasu, sed splendorem diei et noctem continuat inlustrante luna, quod semper in plenilunio id est medio mense fieri solet. diem igitur qui vel nocturnis caret tenebris, Iovis fiduciam Tusco nomine vocaverunt, unde et omnes Idus Iovis ferias observandas sanxit antiquitas. alii putant Idus, quod ea die plena luna 16
videatur, a videndo vidus appellatas, mox litteram v detractam, sicut contra, quod Graeci ἰδεῖν dicunt, nos v littera addita videre dicimus. nonnullis placet Idus dictas vocabulo Graeco, οἷον ἀπὸ τοῦ εἴδους, quod

Digitized by Google

eo die plenam speciem luna demonstret. sunt qui aestiment Idus ab ove Iduli dictas, quam hoc nomine vocant Tusci et omnibus Idibus Iovi immolatur a flamine. »

Omnia quae in loco isto traduntur maximi certe momenti sunt, atque in Varronis Antiquitatibus procul dubio continebantur, et veri similiter in XIV Rer. Hum. de diebus. De quo me certiorem faciunt magna ex parte idem Varro, et ex reliqua eius imitatores. Nam in L. L. VI. 27 et 28 haec de diebus reponuntur: « Primi dies mensium nominati Calendae ab eo quod his diebus calantur eius mensis Nonae a pontificibus, quintanae an septimanae sint futurae, in Capitolio in Curia Calabra sic ». etc. « Nonae appellatae sunt aut quod ante diem nonum Idus semper, aut quod, ut novus annus calendae Ianuariae ab novo sole appellatae, novus mensis ab nova luna Nonis. Eodem die in urbem ab agris ad regem conveniebat populus. Harum rerum vestigia in sacris Nonalibus in arce, quod tunc ferias primas menstruas quae futurae sint eo mense rex edicit populo. Idus ab eo quod Tusci Itus, vel potius quod Sabini Idus ». Eadem fere habet de curia Calabra Servius Aen. VIII. 654. Quoad varias Iduum interpretationes, quae a vocabulo « Itis » petitur e Varrone certo profluit, nam is nihil rescripsit quod loco suo non explicuerit: quae autem ab ἰδεῖν et ἀπὸ τοῦ εἴδους exposcitur invenitur in Plutarch Q. R. 24 et in Laur. Lyd. III. 7: quae demum » ab ove Iduli » eruitur legitur etiam in Ovid. Fast. I. 57 et 597 seqq., in Festo ap. Paulum IX p. 104 Muell., et in eodem Laur. Lyd. loc. cit. Atqui nemo qui Reatini scriptoris indolem et agendi rationem novit inficiari potest eum omnium vocabulorum quae declaranda suscipiebat diversas origines atque significationes attulisse a seipso vel ab aliis traditas, uti etiam est videre in eius libris qui exstant.

2 *kalabre* B: *calatam* pro *Calabram* in aliqq. edd. ‖ 3 et 7 *Calendis Calendas* Lugd. ett vett. edd. ‖ 4 *quinquies dicto* Lugd. et al. edd. ‖ 8 *et classi .... vocaretur* om. P ‖ 11 *populos* P ‖ 17 *dies tis* P: *Idis* in aliqq. edd. ‖ 19 *salio* B': *carmine* P. ‖ 20 MϹPAN P ‖ 21 *his* B' ‖ 22 *cum solis occasu non finitur* Lugd. et vett. edd.: *noctis* Lugd. et vett. edd.: *nocte contineat* P ‖ 23 *illustrante* Lugd. et vett. edd.: *im* B ‖ 25 *Jovis feriatas* in aliqq. edd. ‖ 27 *idus* P: *literam* Lugd. et vett. edd. ‖ 30 *demonstrat* B': *aestimant* P: *existiment* Lugd. et vett. edd. ‖ 31 *vocant* om. P: *iovis immolatur* B: *ovis immolatur* Lugd. et vett. edd.

Digitized by Google

XXV.

(I. 15. 16)

« Ut autem Idus omnes Iovi ita omnes Kalendas Iunoni tributas et 18
Varronis et pontificalis adfirmat auctoritas. »

Exstat sic. in Bip. ed. p. 371, etsi de pontificali auctoritate non dicitur. Similia docent Ovid. Fast. I. 55, Plutarch. Q. R. 14, Lydus III. 7. Inerat probabiliter in VIII Rer. Div. de feriis.

1 *Calendas* Lugd. et vett. edd. ‖ 2 *affirmat autoritas* aliqq. MSS. Lugd. et vett. edd.: *confirmat* in aliqq. edd.

XXVI.

(I. 15. 20)

« Cum enim initia mensium maiores nostri ab exortu lunae serva- 20
verint, iure Iunoni addixerunt Kalendas, lunam ac Iunonem eandem putantes: vel quia luna per aerem meat, unde et Graeci lunam Ἄρτεμιν, nuncuparunt id est ἀερότομιν, quod aera secat, Iuno autem aeris arbitra est, merito initia mensium, id est Kalendas, huic deae consecraverunt. »

Iunonem aeris arbitram esse docebant Stoici teste Cic. qui de nat. deor. II. 25. 66 ita scribit: « Aer autem, ut Stoici disputant, interiectus inter mare et caelum, Iunonis nomine consecratur ». Idipsum acceperunt Plutarch. Is. et Osir. 32, Arnobius III. 80, Isid. Orig. VIII. 11.98. Laurentius Lydus III. 7 rem apertis verbis sic tradit « Οἱ γὰρ Φυσικοὶ Ἥραν τὴν σελήνην ἐνόμιζον ». Varronem nostrum idem sentisse non modo arguimus ex eius in Stoicorum doctrinas propensione, verum etiam ex L. L. V. 69, ubi haec legimus « Ab Latinis Iuno Lucina dicta:... a quo parientes eam invocant, luna enim nascentium dux quod menses huius ». Quoad librum in quo talia de Iunone statuit, quamquam difficile creditu non est obiter ea tetigisse in lib. Rer. Hum. de diebus, ut hic agit Macrobius, verisimilius

Digitized by Google

tamen puto universas de Iunone opiniones in XVI Rer. Div. retulisse, ubi de dis selectis.

1 *initium* Lugd. et vett. edd. ‖ 2 *Calendas addixerunt* Lugd. et vett edd. ‖ 3 *aere eat* P: *artemin* BP ‖ 4 *nuncupaverunt* Lugd. et vett. edd.: *epotomin* B ‖ 5 *Calendas* Lugd. et vett. edd.

XXVII.

(I. 15. 21 seq.)

« Nuptiis copulandis Kalendas Nonas et Idus religiosas id est devi- 21
tandas censuerunt. hi enim dies praeter Nonas feriati sunt, feriis autem vim cuiquam fieri piaculare est, ideo tunc vitantur nuptiae, in quibus vis fieri virgini videtur. sed Verrium Flaccum iuris pontificii peritissimum dicere solitum refert Varro, quia feriis tergere veteres fossas liceret, novas facere ius non esset, ideo magis viduis quam virginibus idoneas esse ferias ad nubendum. subiciet aliquis: cur ergo Nonis, si feriatus 22
dies non est, prohibetur celebritas nuptiarum? huius quoque rei in aperto causa est. nam quia primus nuptiarum dies verecundiae datur, postridie autem nuptam in domo viri dominium incipere oportet adipisci et rem facere divinam, omnes autem postriduani dies seu post Kalendas sive post Nonas Idusve ex aequo atri sunt, ideo et Nonas inhabiles nuptiis esse dixerunt, ne nupta aut postero die libertatem auspicaretur uxoriam aut atro immolaret quo nefas est sacra celebrari. »

Ex loco isto Bip. ed. p. 372 ea seligit quae de Verrio Flacco Noster adfirmat, cetera vero non attendit. Sed perperam. Qui enim quandam cognitionem adeptus sit Macrobianae versutiae artificiis, quibus ipse utitur ut aliena praebeat veluti sua, minime decipietur. Eadem autem impudentia, qua, ut vidimus, Gellianas paginas tacitus usurpavit, et hic pergit ad Varronis sententias sibi adrogandas, quamquam eas non ab ipso fonte haurit, sed ab aliis relatas transcribit. Ita in descripto loco causa cur etiam Nonis prohibeatur nuptiarum celebritas non esset quidem ipsi Macrobio aperta, si scriptor a quo sumpsit noluisset eam aperire. Atqui scriptor ille qui talia prodens Varronem habuit prae oculis nihil quidem autumavit, quod eiusdem Varronis argumentis comprobare non curaverit. Praeterea compertum est Reatinum scriptorem ratiocinativam scribendi

Digitized by Google

formam constantissime servasse, ac remotas et subtiliores rerum causas in cunctis quae asserebat scrutari non destitisse. Igitur absurdum est opinari causam cur nuptiae nequirent Nonis celebrari non fuisse ab eo patefactam. Constat quoque ex alia parte Macrobium saepe solitun esse nonnulla ipsis auctoribus e quibus accipit, nonnulla vero sibimetipsi tribuere, ut e Gellianae eruditionis usu quem fecit palam fit. Ceterum et Nonas nefastas habitas esse dicit Laur. Lydus III. 7: nefastis autem diebus, notat Ianus, nuptias celebrare non licuisse apparet ex Ovid. Fast. II. 557 seqq. VI. 219 seqq. Festus lib. XIII p. 178 Muell. ipsam rem ita docet: « Nonarum dies item Iduum Kalendarum nuptiis alieni habentur, quia novae nuptae sic diem postridie nuptias creditur atrum inluciscere ». Probabile est Varronem haec pertractasse in lib. VIII Rer. Div. ubi de feriis, ni cogitare placet hanc de nuptiis prohibitionem in lib. de diebus id est in XIV Rer. Hum. convenientius exstitisse.

1 et 12 *Calendas* Lugd et vett. edd.: *Nonas* om. P ‖ 4 *fieri vis virginibus* Lugd. et vett. edd.: *peritissimus* P ‖ 8 *dies* om. B ‖ 11 *postriani* B: *postridiani* P ‖ 13 *inabiles* B.

XXVIII.

(I. 16. 9 seq.)

« Adfirmabant autem autem sacerdotes pollui ferias, si indictis conceptisque opus aliquod fieret. praeterea regem sacrorum flaminesque non licebat videre feriis opus fieri et ideo per praeconem denuntiabant nequid tale ageretur et praecepti neglegens multabatur. praeter multam vero adfirmabatur eum qui talibus diebus inprudens aliquid egisset porco piaculum dare debere, prudentem expiare non posse Scaevola pontifex adseverabat. »

Quae hic de feriis praedicantur M. Varro in XIV Rer. Hum. notavit, cum de diebus nefastis locutus est; nam in L. L. VI. 30 haec in propositum repetit « Praetor qui tum fatus est, si imprudens fecit, piaculari hostia facta piatur; si prudens dixit, Quintus Mucius ambigebat eum expiari ut impium non posse ». Hoc praeceptum vetans ne quid fieret in diebus festis a Varrone didicit Plutarchus, qui Q. R. 25 sic ait: « Ῥωμαῖοι δὲ τὸ

Digitized by Google

παλαιὸν ἐν ταῖς ἑορταῖς οὐδὲν ὠκονόμουν οὐδὲ ἐφρόντιζον ἀλλὰ ἡ περὶ τοὺς θεοὺς ἠσχολοῦντο, καὶ τοῦτο ἔπραττον, ὥσπερ ἔτι νῦν προκηρύττουσιν οἱ ἱερεῖς etc. » Et Servius ad Georg, I. 268 « Sunt enim aliqua, quae si festis diebus fiant, ferias polluant: quapropter et pontifices sacrificaturi praemittere calatores suos solent, ut sicubi viderint opifices adsidentes opus suum prohibeant etc ». Eadem habet Festus ap. Paulum XIV p. 224 Muell. ubi praecias seu praecones a flaminibus praemissos memorat.

1 *Affirmabant* Lugd. et vett. edd.: *in indictis* Lugd. et aliqq. edd. ‖ 3 *ptore denunciabatur* P ‖ 4 *negligens* Lugd. et vett. edd. *mulctabatur* et infra *mulctam* Lugd. et vet. edd. ‖ 5 *affirmabatur* P Lugd. et al. edd.: *imprudens* Lugd. et cet. edd. ‖ 6 *dari* B ‖ 7 *asseverabat* aliqq. MSS. Lugd. et cett. edd.

XXIX.

(I. 16. 16 seqq.)

« Cum Latiar, hoc est Latinarum sollemne, concipitur, item diebus 16
Saturnaliorum, sed et cum mundus patet, nefas est proelium sumere:
quia nec Latinarum tempore, quo publice quondam indutiae inter po- 17
pulum Romanum Latinosque firmatae sunt, inchoari bellum decebat,
nec Saturni festo, qui sine ullo tumulto bellico creditur imperasse, nec
patente mundo, quod sacrum Diti patri et Proserpinae dicatum est.
meliusque occlusa Plutonis fauce eundum ad proelium putaverunt. unde 18
Varro ita scribit: mundus cum patet, deorum tristium atque inferum
quasi ianua patet. propterea non modo praelium committi, verum
etiam dilectum rei militaris causa habere ac militem proficisci, navim
solvere, uxorem liberum quaerendorum causa ducere religiosum est. »

In Bip. ed. p. 372 servantur tantummodo verba Varronis, quae sic incipiunt « mundus cum patet, deorum tristium etc. » Credibile autem non est ceteros dies festos in quibus proelium sumere nefas esset, praeterquam eos qui « patente mundo » celebres erant, non fuisse simul a Varrone recensitos. Contrarium enim suadet mihi Macrobius ipse, qui Latinas ferias Saturnalia et patentem mundum veluti tempora eiusdem notae eademque observantia recolenda simul ponit. Firmatur quoque opinio mea verbo « concipitur » quod Macrobius adhibet, cum Latinarum sollemnia commemorat, et quo etiam utitur Varro,

Digitized by Google

cum de feriis conceptivis loquitur. Nam in L. L. VI. 25 ita scribit « Quotannis is dies (compitalia) concipitur. Similiter Latinae feriae dies conceptivus dictus a Latinis populis, quibus ex Albano monte ex sacris carnem petere fuit ius cum Romanis, a quibus Latinis Latinae dictae ». Latinis feriis bellum inchoari non licuisse testatur quoque Dionysius Hal. A. R. IV. 49. Circa mundum patentem vide Plutarch. in Rom. 11, Servium Aen. III. 134, Festum XIII p. 154 seqq. Muell. Patens mundus dicebatur fossa seu ara deorum inferorum. Haec Varro probabiliter in VIII Rer. Div. exposuit, vel potius in XIV. Rer. Hum. de diebus.

1 *sollepne* P ‖ 3 *quod publice* B: *induciae* Ianus et aliqq. edd. ‖ 6 *potente* B' ‖ 7 *platonis* B' ‖ 10 *delectum* Lugd. et vett. edd.: *navem* Ianus, Lugd. et vett. edd.

XXX.

(I. 16. 19)

« Vitabant veteres ad viros vocandos etiem dies qui essent notati 19
rebus adversis, vitabant etiam feriis sicut Varro in Augurum libris scribit in haec verba: viros vocare feriis non oportet: si vocavit, piaculum esto. »

In Bip. ed. p. 234 leguntur verba « viros vocare » etc. Heic autem corrigendus est error Macrobii qui plures Augurum libros Varroni tribuit, quum contra notum sit augurum librum unicum fuisse et Rer. Div. tertium. Cfr. Merkel. ad Ovid. Fast. p. CXV, et Ritschel. op. op cit p. 375. « Viros vocari, ait Servius Aen. X. 241, significat eos qui necessitate in bellum, non voluntate conveniunt ». Dies qui essent notati rebus adversis dicebantur atri et religiosi. Cfr. etiam Gellium XIII. 14.

1 *nontanti* B ‖ 3 *scripsit* B et aliqq. edd.: *vacabit* B ‖ 4 *est* P et aliqq. edd.

XXXI.

(I. 16. 26 seq.)

« Ante diem quoque quartum Kalendas vel Nonas vel Idus tamquam 26
inominalem diem plerique vitant. eius observationis an religio ulla

Digitized by Google

sit tradita quaeri solet sed nos nihil super ea re scriptum invenimus nisi quod Q. Claudius Annalium quinto cladem illam vastissimam pu-
5 gnae Cannensis factam refert ante diem quartum Nonas Sextiles. ad 27
rem sane militarem nihil adtinere notat Varro utrum fastus vel ne-
nefastus dies sit sed ad solas hoc actiones respicere privatas. »

Etiam hic Bip. ed. p. 372 nil aliud retinet, quam sententiam Varronis « ad rem militarem » etc. Obvius tamen Macrobiani loci sensus, ni fallor, talis est, ut quod Varro de re militari asserit ideo intelligamus eum asseruisse, quia Claudii testimonium de pugna Cannensi aliaque id genus exempla edere poterat ac reipsa edebat. Hoc quoque videtur consequi ex Macrobii locutione « notat Varro » quam, facto sermone de pugna deque Claudio, illico adiecit; nam τὸ « notat » plerumque et maxime in praesentiarum idem sonat ac si diceretur: ad rem notat. Ceterum Varro annales Quadrigarii assidue legebat, huiusque imitatorem se gloriabatur, iuxta ipsum Macrobium, vid. cap. 5. 10. De hoc die Cannensi, monet Ianus, et de aliis qui erant similiter religiosi, vid. Merkel. ad Ovid. Fast, p. XXXIII. Liber cui haec magis competunt videtur esse XIV Rer. Hum. de diebus, ubi de fastis et nefastis erat sermo, deque rebus quas vetitum erat in his temporibus peragere.

1 *Calendas.....tanquam* Lugd. et vett. edd. ‖ 3 *nichil* P ‖ 4 *quintus* BP ‖ 5 *Sextilis* P, Lugd. et vett. edd. ‖ 6 *attinere* P, Ianus, Lugd. et vett. edd.

XXXII.

(I. 16. 33)

« Geminus ait diem nundinarum exactis iam regibus coepisse cele- 33
brari, quia plerique de plebe repetita Servii Tullii memoria parentarent ei nundinis. cui rei etiam Varro consentit. »

Quamquam hic non Varro sed Geminus loquitur, tamen cum ille huius testimonio dicatur assensus esse, citata verba non magis Gemini quam Varronis propria mihi videntur existimanda. Sed Bipontina ed. aliter decrevit, et silentio suo fragmentum istud a Varrone abiudicavit. Nundinas inter ferias recensitas esse adfirmant Iulius Caesar, Cornelius Labeo, Granius Lici-

Digitized by Google

nianus, aliique scriptores a Macrobio nominati, etsi Festus ap. Paul. lib. VI p. 86 Muell. eas dicit ferias sine die festo. Non est igitur alienum ab omni veri specie Varronem de nundinis egisse in libro de feriis, id est in VIII Rer. Div.

1 *Geminius* Lugd. et vett. edd.: *cepisse* P ‖ 2 *servi* B ‖ 3 *in* pro *ei* P.

XXXIII.

(I. 18. 3 seq.)

« Boeotii Parnassum montem Apollini sacratum esse memorantes simul tamen in eodem et oraculum Delphicum et speluncas Bacchicas uni deo consecratas colunt, unde et Apollini et Libero patri in eodem monte res divina celebratur. quod cum et Varro et Granius Flaccus adfirment, etiam Euripides docet. »

Hunc locum frustra quaeres in Bip. ed., neque video quare omittendus erat. Si enim Granius Flaccus idem asserit quod Varro, non ideo consequitur hoc testimonium censeri non debere ut Varronianum. Probabiliter et ipsa Euripidis auctoritas a Nostro in hoc loco velut in multis aliis usurpata est, sed autumare non audeo. Apollini et Libero patri rem divinam simul celebratam esse testantur quoque Pausanias X. 32, Plutarchus de Is. et Os. 35, Lucanus V. 73, Catullus 64.391, aliique ab Iano ad hunc Macrob. loc. conlati. Quoad librum in quo Varro haec protulit, anceps me tenet sententia: si enim ea mente, qua Macrobius, ille id monuit, scilicet quo Apollinem et Liberum unum et eundem deum esse demostraret, certum est ita egisse in XVI Rer. Div. ubi de dis selectis; si vero alio consilio haec notavit, probabile fit in VII Rer. Div. ubi de locis religiosis et haec notasse.

1 *Parnasum* P', Ianus, Lugd. et al. edd.: *consecratum* Lugd. et vett. edd. ‖ 2 *bachicas* P ‖ 3 *libero* Lugd. el al. edd. ‖ 4 *celebratur* om. P ‖ 5 *affirmæ* B': *affirment* Lugd. et vett. edd.

XXXIV.

(I. 18. 15)

« Mundus autem vocatur caelum, quod appellant Iovem. »

Digitized by Google

In L. L. V. 65 seqq. haec de Iove traduntur « Idem hi dei Caelum et Terra, Iuppiter et Iuno.... Divom id est caelum.... Iovis Iuno coniux et is caelum: haec terra quae eadem tellus » etc. Constat praeterea ex Augustini testimonio superius allato omnes deos ad partes mundi fuisse a Nostro revocatos, iuxta Physicorum interpretationem. Quam Laur. Lydus IX. 38 breviter sic exponit « πολλαχοῦ γὰρ εὑρίσκομεν ὡς ὁ σύμπας κόσμος Ζεὺς ὀνομάζεται » — De Iove dixit Varro in XVI Rer. Div. de dis selectis.

XXXV.

(I. 20. 6)

« Nec aestimes Alcmena apud Thebas Boeotias natum solum vel primum Herculem nuncupatum: immo post multos atque postremus ille hac appellatione dignatus est honoratusque hoc nomine qui nimia fortitudine meruit nomen dei virtutem regentis. » 6

Haec de Herculis nomine atque significatione a Varrone instituta esse docet nos Servius Aen. VIII. 564 his verbis « Tunc enim, sicut Varro dicit, omnes qui fecerant fortiter Hercules vocabantur, licet eos primo XLIII enumeraverit ». Multos Hercules quoque memorant Cic. N. D. III. 16. 42 et Laur. Lydus IV. 48. Hinc patet Herculis nomen apud antiquos symbolum fuisse virtutis atque fortitudinis. Nonnullae Varronis saturarum ab Hercule nomen et rem accipiunt, sed probabilius de Hercule deo in XIV Rer. Div. omnis quaestio agebatur, ubi de dis certis.

1 *existimes Alcumena* Lugd. et vett.: *bocbias* BP ‖ 2 *imo* Lugd et vett. edd. ‖ 4 *diei* B.

XXXVI.

(I. 20. 18)

« Isis iuncta (cum Sarapi) religione celebratur, quae est vel terra vel natura rerum subiacens soli. » 18

Ita de Iside universam antiquitatem cogitasse testes habemus Plutarchum de Is. et Os. c. 32, Laur. Lydum IV. 32 et

Digitized by Google

alibi, Servium ad Aen. VIII. 697 aliosque multos. Isidorus Orig. VIII. 11. 84 haec refert « Isis lingua Aegyptiorum est terra quam ἶσην (vulgo Isin) volunt esse ». Quae testimonia satis essent ut eandem opinionem Varroni tribueremus, ni apertur indicium nobis suppeteret in L. L. V. 57, ubi haec leguntur « Principes dei Caelum et Terra. Hi dei idem qui Aegypti Serapis et Isis, etsi Arpocrates digito significat ut taceas eam ». De his numinibus Varro egit in XV Rer. Div. de dis incertis; in quorum numero praecipue recensebantur Serapis et Isis, Deus Israelitarum, Atys, Nymphae, Pan, Sylvani, aliique dei senatus consulto nondum in urbem admissi, aut, si privatim colerentur, sacris publicis non sanciti neque ab universo populo pro diis culti. Cfr. Francken op. cit. p. 37 et 90.

1 *cuncta religione* Lugd. et vett. edd. ‖ 2 *naturam* B'.

XXXVII.

(I. 21. 1)

« Inferius hemisphaerium terrae Proserpinam (Physici) vocaverunt. » 1

Diversimode Physici hanc deam interpretati sunt: erant enim qui dicerent Proserpinam terrae fecunditatem significare, et qui hemisphaerium inferius vel meridionale. Utramque opinionem a Varrone in XVI Rer. Div. more suo perhibitam esse testatur Augustinus de civ. Dei VII. 23 ita scribens « Proserpina, quae secundum aliam in eisdem libris (Varronis de dis selectis) positam opinionem non terrae fecunditas, sed pars inferior perhibetur ». Cfr. quoque Creuzer. II p. 429 ex Iani nota.

1 *hemisperiu* P.

XXXVIII.

(I. 21. 8)

« Quis enim ambigat Matrem Deum terra haberi? » 8

Idem Augustinus op. cit. VII. 24 de magna Matre loquens Varronis doctrina utitur, ut eam nil aliud esse quam terram

Digitized by Google

ostendat, sic ratiocinatus « Nam et ipse Varro.... unam deam vult esse Tellurem. Eandem, inquit, dicunt Matrem magnam: quod tympanum habeat significari orbem terrae » etc. Idipsum iam cecinerat Lucretius, velut priscae sapientiae fidus interpres, in II. vv. 598 sq. « Quare magna deum mater materque ferarum Et nostri genetrix haec dicta est corporis una (Tellus) ». Cfr. Laur. Lyd. III. 34, et Martian. VII § 740. De Matre Deum Varro locutus est in XVI Rer. Div.

XXXIX.

(I. 28. 8)

« Haec sola, (Vesta) quam terram esse accipimus, manet immobilis 8
intra domum deorum id est intra mundum. »

Ita Varronem de Vesta cogitasse arguimus primo ex eius interpretandarum dearum ratione, quas pene omnes terram significare existimabat, et dein ex eo quod legimus in Augustino op. cit. VII. 16, ubi haec notat « Vestam.... propterea dearum maximam putaverunt, quod ipsa sit terra » et 24 « Tellurem putant esse Vestam, quod vestiatur herbis ». Eandem significationem ab antiquis huic deae tributam esse confirmant Suidas, Dionys. Hal. A. R. II. 66, et Cornutus c. 28. p. 206. Ovid Fast. VI. 454 sic ait « Tellus Vestaque numen idem » et Arnobius III. 32 « Nonnulli autem Vestam (terram esse dixerunt), quod in mundo stet sola ». Etiam de Vesta Varro disseruit in XVI Rer. Div.

1 *accepimus* Lugd. et vett. edd.: *inmobilis* Ianus et aliqq. edd.

XL.

(III. 2. 8)

« Varro Divinarum libro quinto dicit aras primum asas dictas, quod 8
esset necessarium a sacrificantibus eas teneri, ansis autem teneri solere vasa quis dubiteti? commutatione ergo litterarum aras dici coeptas, ut Valesios et Fusios dictos prius nunc Valerios et Furios dici. »

Digitized by Google

In Bip. ed. p. 218 haec tantum servantur « aras primum ansas dictas quod esset necessarium a sacrificantibus eas teneri. » At Valesios et Fusios a Varrone in loco isto exempli gratia nominatos esse docet nos Servius Aen. IV. 219 sq. haec adnotans « Veteres asas dicebant postea aras dixerunt, sicut Valesios Valerios, Fusios Furios, quod Varro libro V. Rerum divinarum plenius narrat ». Cfr. Merkel. ad Ovid Fast. p. CXVIII. Hinc Ianus et Eyssenhardt integrum locum ut Varronianum existimantes diversis characteribus iure merito exscriperunt.

1 *ansas* aliqq. MSS. Lugd. et vett. edd. ‖ 2 *ea* Lugd. et al. edd. ‖ 3 *ceptas* ‖ 4 *Valesios* om. P. *valerius* B'.

XLI.

(III. 2. 11)

« Varro in libro quinto decimo Rerum Divinarum ita refert quod pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat, quod Graeci παιανίζειν vocant. » 11

Legitur in Bip. ed. 221. Vitulari idem est ac laetari iuxta Macrobium, qui ait verbum hoc apud Pictorem inveniri et ab Titio ita explicatum esse. Id quoque colligitur ex Graeca interpretatione a Varrone adiecta: παιὰν enim in Graecis non modo Apollinis aliorumque deorum fuit hymnus, sed etiam vox laetitiae ob victoriam et in rebus secundis.

2 παιανίζειν *vocant* om. P. una linea relicta vacua (Ianus).

XLII.

(III. 4. 2)

« Varro libro octavo Rerum Divinarum delubrum ait alios aestimare in quo praeter aedem sit area adsumpta deum causa ut est in Circo Flaminio Iovis Statoris, alios in quo loco dei simulacrum dedicatum sit et adiecit sicut locum in quo figerent candelam candelabrum appellatum, ita in quo deum ponerent nominatum delubrum. » 2

Digitized by Google

Invenitur in Bip. ed. p. 219. At Servius Aen. II. 225, a quo Macrobius haec sumpsit, alia praemittit sic dicens « Varro autem Rerum Divinarum libro XXVII delubrum esse dicit aut ubi plura numina sub uno tecto sunt, ut Capitolium, aut ubi praeter aedem » etc. Merkel. vero ad Ovid. Fast. p. CXXIII seqq. erroneam indicationem Varroniani libri cum in Servio tum in Macrobio acceptam agnoscens, inter libri VI fragmenta hoc recepit. Alias delubri interpretationes ab aliis scriptoribus excogitatas adfert Servius Aen. IV. 56 et alibi.

1 *extimare* Lugd. et vett. edd. ‖ 2 *assumpta* P, Lugd. et al. edd. ‖ 3 *iovis statere* B': *simulachrum* Ianus et al. edd.: *dedicatum est* P.

XLIII.

(III. 4. 7)

« Varro Humanarum secundo Dardanum refert deos Penates ex Samothrace in Prhygiam, et Aeneam ex Phrygia in Italiam detulisse. » 7

Exstat in Bip. ed. p. 205. Eandem historiam ex Nostro probabiliter haustam narrat Dionysius Hal. A. R. II. 66. Locus, ut in Macrobio est, legitur quoque in Servio Aen. III. 119 una cum aliquibus eiusdem Varronis testimoniis circa deos Penates. Ideoque ipse Servius Aen. III. 12 Samothraces Romanorum cognatos ait existimatos.

1 *Rerum humanarum* Lugd. et aliqq. edd.: *samathrace* B' ‖ 2 *frigiam* P: *frygiam* B: *ex troia* P: *et frygiam.* B.

XLIV.

(III. 4. 8)

« Qui diligentius eruunt veritatem Penates esse dixerunt per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus: esse autem medium aethera Iovem, Iunonem vero imum aera cum terra et Minervam summum aetheris cacumen: et argumento utuntur quod Tarquinius, Demarati Corinthii filius Samothracicis reli- 8

Digitized by Google

gionibus mystice imbutus, uno templo ac sub eodem tecto numina memorata coniunxit. »

Cum Macrobius haec ponit, quandam suspicionem in nos inicere videtur locum istum a Varrone fuisse prorsus alienum; nam non modo huius nomen non profert, sed ait contra « Qui sint autem di Penates in libro quidem memorato Varro non exprimit: sed qui diligentius eruunt veritatem » etc. At Macrobius vel inscitia vel calliditate locutus est. Docemur enim ex Augustino Varronem in XV Rer. Div. de dis incertis Samothracum mysteria esse interpretatum, eademque praestitisse circa eorum religionem in Iovem Iunonem et Minervam, quae hic exhibentur. Nam in Civ. Dei VII. 28 sic legimus « Hinc etiam Samothracum nobilia mysteria in superiore libro (Varro) interpretatur » etc. et infra « Caelum Iovem, terram Iunonem, ideas Minervam (Varro) vult intelligi . . . . . Caelo enim tribuit masculos deos, feminas terrae, inter quas posuit Minervam, quam supra ipsum caelum antea posuerat ». — Arnobius III. 40 de Penatibus haec monet: « Nec defuerunt qui scriberent Iovem Iunonem ac Minervam deos Penates existere, sine quibus vivere ac sapere nequeamus, sed qui penitus nos regant ratione calore ac spiritu ». Tria haec numina, uno templo ac sub eodem tecto coniuncta esse tradunt omnes. Cfr. Dionys. Hal. A. R. IV. 59, Liv. VI. 16, Vitruv. I. 7. Servius Aen. III. 134 eiusdem Varronis auctoritate fretus haec notat « Sane Varro Rerum divinarum refert inter sacratas aras focos quoque sacrari solere, ut in Capitolio Iovi Iunoni Minervae nec minus in plurimis urbibus oppidisque. » etc.

1 *quaerunt* Lugd. et aliqq. edd. ‖ 2 *rationem* om. P' ‖ 4 *ex argumento* Lugd. et vett. edd. ‖ 5 *Demarathi* Lugd. et vett. edd.: *Samothraciis* Lugd. et al. edd.: ‖ 6 *mistice* P: *eadem* B' ‖ 7 *coniungit* Lugd. et vett. edd.

XLV.

(III. 6. 10)

« Varro Divinarum libro quarto victorem Herculem putat dictum, quod omne genus animalium vicerit. » 10

Inest in Bip. ed. p. 218. Cfr. Serv. Aen. VIII. 270, qui eadem fere habet quae hic leguntur, etsi dicat « quod omne genus anima-

Digitized by Google

lium decies vicerit ». Sed Merkel. ad Ovid. Fast. p. CXVIII, posthabita Servii et Macrobii auctoritate, hunc locum tribuit libro V. Rer. Div. de sacellis, et fortasse rectius; nam hic non agitur de quindecim viris sacrorum, ut in lib. VI, verum de Herculis Victoris aris et sacris.

1 *Rerum divinarum* Lugd. et vett. edd. ‖ 2 *animalium genus* Lugd. et aliqq. edd.

XLVI.

(III. 6. 17)

« Custoditur in eodem loco (apud aram Maximam) ut omnes aperto 17
capite sacra faciant. hoc fit ne quis in aede dei habitum eius imitetur, nam ipse ibi operto est capite. Varro ait Graecum hunc esse morem quia sive ipse sive qui ab eo relicti aram Maximam statuerunt Graeco
5 ritu sacrificaverunt. »

Verba quae hic dicuntur Varronis habet Bip. editio p. 357. Rem disce a Servio Aen. III. 407 « Sane sciendum sacrificantes diis omnibus caput velare consuetos ob hoc, ne se inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio esse videretur, quia Saturnus velato capite ibi cernitur. Et Herculi in templo suo, quia et ipse capite operto est, vel quia hae arae ante adventum Aeneae a Iunone vel Evandro consecratae sint ». Etiam hic Varronis locus libro V. Rer. Div. tribui potest, vel saltem VI de sacris aedibus; at Merkel. ad Ovid. Fast. p. CXXX, nescio qua ex causa, eum refert ad XVI de dis selectis.

1 *apto* pro *aperto* B ‖ 3 *capite est* B. Lugd. et aliqq. edd. ‖ 4 *qui* om. P. *relicta* B. *quia aram* Lugd. et aliqq. edd.

XLVII.

(III. 12. 3)

« Constat quidem nunc lauro sacrificantes apud aram Maximam co- 3
ronari sed multo post Romam conditam haec consuetudo sumpsit exordium, postquam in Aventino laurum coepit virere, quam rem docet Varro Humanarum libro secundo. »

Digitized by Google

Continetur in Bip. ed. p. 205. Praeterea Servius Aen. VIII. 276 haec scribit: « Varro Rerum humanarum docet in Aventino institutum Lauretum, de quo proximo monte decerpta laurus sumebatur ad sacra ». Et Plinius N. H. XV. § ult. « Loretum in Aventino vocatur, ubi silva lauri fuit ». Eadem notant Dionys. Hal. A. R. III. 44 et Festus lib. XX p. 360. Aliam causam cur Lauretum vocabatur adfert idem Varro in L. L. V. 152, qui Laurentes Tatii regis interfectores memorat.

3 *cepit* P || 4 *Rerum humanarum* Lugd. et vett. edd.

XVLIII.

(III. 12. 5 seq.)

« Is deus (Hercules) et apud pontifices idem qui et Mars habetur. 5
Chaldaei quoque stellam Herculis vocant quam reliqui omnes Martis 6
appellant. »

Herculem eundem putatum esse ac Martem non modo Varro probavit in satura Menippea quae audit Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς, ut hoc loco ponit Macrobius, verum etiam narrare debuit in XIV Rer. Div. de dis certis, aut fortasse in XVI ubi et de Marte disseruit; absurdum enim est opinari omnia quae ad Herculem et Martem referebantur loco suo patefacere neglexisse. Ceterum et ipse Servius Aen. VIII. 275 utriusque dei unitatem in pontificali ritu sancitam esse monet his verbis. « Secundum pontificalem ritum idem est Hercules qui et Mars ». Theologica ergo veritas censebatur haec unitas et in divinis pervulgata. Alteram Varronis opinionem circa Herculis stellam docemur ab eodem Servio loc. cit. v. 285. « Chaldei stellam Martis Herculem dicunt, quos Varro sequitur ». Cfr. Plin. N. H. 11. 8 et Apul. de mundo p. 169 c. 2.

2 *chaldei* BP.

XLIX.

(III. 16. 12)

« Qui (M. Varro) enumerans quae in quibus Italiae partibus optima 12
ad victum gignantur, pisci Tiberino palmam tribuit his verbis in libro

Digitized by Google

Rerum Humanarum undecimo: ad victum optima fert ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel
6 Tarentinus, piscem Tiberis. »

Servantur in Bip. ed. p. 207 verba « ad victum optima fert » etc. Eadem a Varrone sumpsit Plinius, ut cernere est in variis locis Nat. Hist. Cfr. lib. III. 5, XIV. 6, XV. 2 et alibi. Etiam poetae regiones istas eadem ex causa celebrant aliquando, ut de agro Venafrano, seu de Cassino, agunt Martialis XIII. 101 et Horatius Od. II. 6, Sat. II. 4 etc.; de vino Falerno et Calabris apibus ipse Venusinus non semel.

2 et 5 *Tyberino Tyberis* Lugd. et vett. edd. ‖ 3 *refert* B ‖ 4 *Casinas* BP.

L.

(VI. 4. 8)

« Sunt qui aestiment hoc verbum umbracula Vergilio auctore conpo- 6
situm cum Varro Rerum Divinarum libro decimo dixerit: non nullis magistratibus in oppido id genus umbraculi concessum. »

Insunt in Bip. ed. p. 219 verba « non nullis magistratibus » etc. In lib. X Rer. Div., ut supra monuimus, Varro, videtur egisse de ludis scenicis, iuxta Augustinum. Cfr. Merkel. ad Ovid. Fast. p. CLXII, ubi haec leguntur « Verba a Macrobio servata fortassis ad ipsum scenae nomen explicandum illustrandumve pertinuerunt, quem ad modum apud Servium est ad Aen. I. 164: Et dicta scena ἀπὸ τῆς σκιᾶς: apud antiquos enim theatralis scena parietem non habebat, sed de frondibus umbracula quaerebant. »

1 *estimant* P. *extiment* Lugd. et aliqq. edd: *Virgilio* Ianus et al. edd.: *compositum* Lugd. et vett. edd.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONIECTURALIA

Varronianis frustulis quae in Saturnaliorum libris inveniuntur iam conlectis, non nullas animadversiones facere de aliquibus primi libri documentis in animo est ac breviter expedire.

Quod Macrobius inter alia quorundam deorum naturam physica interpretatione conatus sit explorare tetigi antea per transennam: quem ad modum autem et quibus adiumentis instructus hoc egerit si certissime statuere nequeo, non improbabili tamen coniectura liceat partim quaeritare. In capite XVII huius primi libri Macrobius totus est in eo ut demonstret Apollinem eundem esse ac solem, in XVIII vero Apollinem atque Liberum non duos revera esse deos, at unum ipsumque numen vario nomine donatum ideoque unum ipsumque solem; in insequentibus denique capitibus eandem solarem naturam multis quoque dis nititur apponere, Marti, Mercurio, Aesculapio Herculi Adoni Osiridi aliisque necnon et ipsi Iovi: deas vero nunc terram nunc lunam autumat significare. Quae omnia non dubitandum est quin e scriptoribus mythographis, praesertim Graecis, acceperit, iis maxime qui mythorum catalogo uniuscuiusque fabulae interpretationem vel secundum Stoicos aut Epicureos aliamve philosophorum sectam superaddebant. An autem a seipso ex istis mythographis hauserit, an potius Romanos scriptores qui ab illis traditam sapientiam divulgaverant maluerit exscribere, ut magis veri simile puto, incertum est: a Varrone tamen permulta et in hac re conscium vel nescium abstulisse denegari non posse arbitror.

Nam licet Varro, quod sciamus, non omnes deos ad solarem naturam revocaverit, universa tamen numina, ut supra diximus, ad partes mundi redegit: Stoicos quippe magna ex parte, Aca-

Digitized by Google

demicos vero in nonnullis imitabatur. Idipsum conicitur e L. L. V. 57 sqq: ubi de immortalium nominibus agit per summa capita. Hoc denique fatentur omnes qui philosophiae historiam describunt, cum de Varronis physiologia loquuntur, inter quos operae pretium est meminisse Tennemannum Hist. Phil. T. IX p. 68 seq. et. Ritterum T. III p. 606. Duo tamen heic notanda sunt: Apollinem et ipsi Varroni non alium esse ac solem, Liberum vero et Apollinem unum eundemque deum unum eundemque solem ab eo valde probabiliter existimatos. Alteram rem ab ipsomet Varrone discimus in L. L. V. 68, ubi haec leguntur « Hanc (lunam) ut solem Apollinem, quidam Dianam vocant »: alteram autem est arguere ex Arnob. III. 33, Plutarch. Q. R. 104, Laur. Lyd. IV. 38, qui omnes, etsi Varronem hic non citant, eius tamen doctrinarum fideles testes nobis cogniti sunt. Ceterum et ad hanc Apollinis Liberique unitatem statuendam Varronianus locus sub num. XXXIII a me relatus videtur a Macrobio, ut innuimus, adductus esse.

Si ergo Macrobius de ceteris dis locuturus poterat quippe generales notiones et aliqua fragmina a Reatino auctore mutuari, de Apolline vero atque Libero ei disceptanti peculiarem Varronis doctrinam in usum suum convertere certe pronum erat. Sed haec sua potestas ac propensio argumentum foret non satis validum, ni ad probandam usurpationis suspicionem graviora indicia nobis suppeterent. Haec autem indicia, ut opinor, duo sunt: modus quo Macrobius rem suam disponit ac pertractat, scriptores quorum nomine atque auctoritate fulcitur. Modus autem quem in hac disputatione servat is est: thesin suam etymologiae ope demonstrare. Hinc utriusque dei varia nomina epitheta qualitates sacra dies festos etc. analysi etymologica interpretatur, quo ex pluribus etymis inter sese comparatis unam et eandem illationem eruere possit. Scriptores vero quibus maxime utitur sunt Cleanthes Apollodorus Antipater Chrysippus Physici aliique nonnulli, ut de Platone Aristotele ac Poetis taceam.

At memoratum ratiocinandi modum esse prorsus et fere singulariter Varronianum adeo certum et cunctis notum est, ut res demonstratione non egeat: omnia enim quae Varronis operum supersunt vel citantur, si prosa oratione conscripta sunt, etymologicam disserendi formam prae se ferunt. Scriptores autem a Macrobio hic nominati profecto ii sunt, quibus Varro diligentissime studuit, eorumque operibus in etymologicis valde

Digitized by Google

usus est. De Cleanthe enim in L. L. V. 9 ita legimus « Non solum ad Aristophanis lucernam, sed etiam ad Cleanthis lucubravi ». De aliis vero in VI. 2 haec dicuntur « Auctor satis mihi Chrysippus et Antipater, et illi in quibus, si non tantum acuminis at plus litterarum, in quo est Aristophanes et Apollodorus ». Physicos denique saepius meminit, et qui hoc nomine intelligendi sunt docet in X. 55 sic dicens « Itaque et hi, qui da omni natura disputant atque ideo vocantur Physici, tamen ex his ab universa natura profecti, retro quae essent principia mundi, ostenderunt ».

Igitur si haec indicia aliquid pretii habent, hariolari quidem non videbor, cum Varronianam doctrinam de Apolline ac Libero ex indicatis Macrobii locis probabiliter instaurari posse adfirmem. At res maiorem curam postulat magisque idoneam disputationem, quam quae ab hac scriptiuncula potest exhiberi.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

Prolegomenon de Macrobio . . . . . *Pag.* 3
Varroniana in Macrobio . . . . . » 11
Fragmenta . . . . . » 17
Coniecturalia. . . . . » 59

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MAY 3 1960

FEB -3 '58 H

MAY 13 '60 H

Digitized by Google

Lm 3.45
Varroniana nonnulla ex antiquitatib
Widener Library 004446970
3 2044 085 210 862

Digitized by Google